

302

Tribal  
me S  
prefer  
infl

Matthias Reidt  
Linzensis

1713

Titulo commutationis annumerat  
me Iudic Fr. Joannes Braun  
professus Heidelbergens. p. l. paedac  
in Merzheim. origine Linzens.

TRIGIN  
MYST  
PASS  
DON

Succin

Bibliotheca

PRO

EJUS CU

AD USUM

Per tot Medi

AUT

CHRISTIAN

Regiminis Elec

tilario, Ant

Sponheim



CUI PERMISSU

MOGU

Tipi JOANNIS M

dein Academi

TRIGINTA  
MYSTERIA  
PASSIONIS  
DOMINICÆ

*Succinctè Enucleata,*  
*Bibliotheca PETRI V. de Heisterbach.*

PRO DEVOTIS  
EJUS CULTORIBUS  
AD USUM MENSTRUUM

*Per tot Meditationes distributa.*

AUTHORE  
CHRISTIANO RITTMEIER,  
Regiminis Electoralis Palatini Con-  
siliario, Anterioris Comitatûs  
Sponheimensis Satrapâ.




CUM PERMISSU SUPERIORUM.

MOGUNTIAE,  
Typis JOANNIS MAYERI, Typographi  
Aulico-Academici. Anno 1711.

Syst. Th. IV. 302

MARY  
PASSIONIS  
DOMINICE  
TRIUMPHALIS  
CHRISTORIBUS  
AD TERRAM MORTALIM  
ANTHORAE  
SANCTA VITAM RITMENS  
EGOZELIUS PASTORIS  
VITIO. VITIO. VITIO.  
SOPHIEMUS SABATI



1402 821 01

MOGENGAL  
JOANNA HESTER  
QUE JEME SU

302

A SON ALTESSE  
ELECTORALE  
PALATINE.

**V**otre Altesse Electo-  
rale me faira, s'il luy  
plait, la grace de me per-  
mettre, que lorsque la fin  
des divertissemens du Car-  
naval ferme les Theatres  
mondains, il soit faite pla-  
ce à un Theatre Spirituel,  
que je me suis proposé d'ou-  
vrir

vrir dans le petit traité  
présent; où, en ôtant les ri-  
deaux , je representeray  
Nôtre Sauveur souffrant,  
en quatre actes tragiques,  
tantôt dans le jardin ,  
tantôt dans les maisons  
d' Anne & Caiphe , tantôt  
dans les palais de Pilate  
& Herode , & finalement  
sur le mont Calvaire ; &  
au lieu des entrées usitées  
dans les jeux prophanes ,  
je placeray des petites &  
courtes prières jaculatoi-  
res, pour obtenir une ferme  
constance dans la Sainte  
Devotion & Méditation  
de nôtre JESUS souffrant;

au

au lieu des ouvertures stren-  
te Mysteres ; au lieu des  
Airs cinq Oraisons Domi-  
nicales , & autant des sa-  
lutations Angeliques , à l'  
honneur de cinq sacrées  
playes de notre Doux Sau-  
veur. Comme Vôtre Altes-  
se Electorale m'a ordonnée  
de faire imprimer ce trai-  
té , & comme sa devotion  
ardante pour le JESUS  
souffrant est notable tant  
à l'Eglise triomphante que  
Militante , par l'assistan-  
ce quotidienne au Saint  
Sacrifice de la Messe ; où  
ces Meditations peuvent  
être salutairement em-  
ployées

ployées : je me flatte de l'e-  
spoir , que Vôtre Altesse E-  
lectorale agréera la har-  
diesse , que je prens de  
mettre ce traité à ses piés ,  
comme une marque invio-  
lable du tres-profound re-  
spét , avec lequel je feray  
toute ma vie

## DE VOTRE ALTESSE ELECTORALE

Greutznach ce 14. Fevr. 1711.

1711.

Le plus-humble & le plus-obéissant  
serviteur

CHRETIEN RITMEYER.

*Thren. 1. v. 12.* O vos omnes, qui transitis  
per viam, attendite & videte, si est dolor,  
sicut dolor meus.

*Eccles. 29.* Gratiam Fidejussoris ne obli-  
viscaris, dedit enim pro te animam suam.

*i. Petri 2. v. 21.* Christus passus est pro  
nobis, relinquens exemplum, ut sequamur  
vestigia ejus.

*Paulus ad Galat. 6.* Ego stigmata Domini  
Iesu in corpore meo porto, mihi absit glo-  
riari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Chri-  
sti.

*S. Bernard. serm. 61. in Cantic.* Peccavi  
peccatum grande, turbabitur conscientia,  
sed non perturbabitur, quoniam Vulne-  
rum Christi recordabitur.

*B. Laurentius Justinianus de Triumph. Christi a-  
goniz. cap. 20.* Nihil eorum, quæ in sacro con-  
tinentur Eloquio, sic humanum valet excita-  
re affectum, mentem erigere, temperare  
laborem, peregrinationis tedium auferre,  
& æternæ felicitatis spem immittere, quem-  
admodum SACROSANCTUM REDEMPTIONIS  
HUMANÆ MYSTERIUM.

*Leo Magn. serm. 9. de Passione Dom.* Secura  
est exspectatio promissæ beatitudinis, ubi  
est participatio Dominicæ Passionis.

†

Ap-



## APPROBATIO CENSORIS MOGUNTINI.

**N**on sine mysterio Sampson favum mellis, quem in occiso Leone invenit, distribuit inter plures: sic nempe & illa, quæ in vero nostro Leone (CHRISTO PASSO) per Sampsonicum illum presignato plus quam mellea invenitur dulcedo, communis quadam fieri debet alimonia immortalitatis. Rectè proin (titulus) Dominus CHRISTIANUS RITTMAYER, Serenissimi Electoris Principis Palatini Confiliarius Regiminis, & per superiorum Comitatum Sponheimensem Satrapa, mella in melliflua Christi Domini Cruce, dum amarissimas Crucifixi amaritudines pie meditatur, feliciter inventa juris publici facienda esse censuit. At quæ, inquires, mella? solidissima intellige solatia è mysterio Crucis desumpta, & à D. Authore non aride, non exsuccè, sed ad omnem gustum sapidissimè sic conscripta, ut miserrimis multis peccatoribus, trepidis & suomet jam judicio condemnatis, spem non vanam excitatura sint

in

Moguntiae

1710.

Johann. C.  
Lit  
Canon  
brunne

in gratiam cum Deo redeundi. Nunquid  
mella, quibus nihil dulcius obtuleris pecca-  
tori? piis autem animabus quae inde mella,  
putas, obvenient? Audi: apud S. Lucam Pa-  
ter familias cum occidi jussisset vitulum sagi-  
natum, solemne epulum dedit & chorum &  
symphoniam omnibus servis suis, & ipse præ-  
iens manducemus, inquit, & epulemur: sic  
servi Dei, ubi hic legerint de innocentissi-  
mo nostro Agno, opprobriis & doloribus sagi-  
nato, tandem & maectato, delicatissimis fæse  
epulis credent accumbere, intersonante con-  
tinuo cœlesti quadam symphoniam. Ita cen-  
seo & desidero maturari Operis publicatio-  
nem.

Moguntia 22. Novemb.

1710.

Ioann. Gregorius Kirsch Ss. Theol.  
Lic Eminent. Mog. Consil. Eccles.  
Canonicus Cap. in Moxstatt, Li-  
brorum Censor.

† 2

PRÆ-

PRÆFATIO  
 ET  
EXHORTATIO  
 AD  
BENEVOLUM LECTOREM  
*Pro excitandâ verâ erga Redemptorem Patientem devotione.*

**D**ivina Sapientia per sapientissimum Regem omnes fideles, ad continuam beneficiorum à Deo acceptorum memoriam illos invitatura, Prov. cap. 8. hisce emphaticis alloquitur verbis: *Beatus homo, qui audit me, & qui vigilat ad fores meas quotidie, & observat ad postes ostii mei, qui me invenerit, inveniet vitam, & hauriet salutem à Domino.* Quidnam Salomon per fores illas, postésque ostii divini intelligere voluerit, non una Interpretum est explicatio.

PRÆFATIO AD LECTOREM.

plicatio. Mihi pro mea intentione, eorum præ cæteris arridet sententia, qui stant, per fores quatuor illa Vulnera manibus, pedib[us]que venturi Messiae destinata; per postes ostii autem latus ejus, lancea militari apertum denotari; certissimum enim est, quod in his quinque Vulneribus, debitibus adhibitis adminiculis secundum allegatum Textum *Vitam inveneri*, salutemq[ue] ex illis quinque fontibus uberrimis æternam in Domino haurire possumus. Quæ verba, tot ferè pondera. Beatum Spiritus Sanctus illum judicat, non qui perfunctoriè & oscitanter ad has fores & ostium salutis stertit, sed qui instar satellitis vigilis ad portas regias constituti, has ostii divini fores exactissimâ cum vigilantiâ observat, ad minimum diaboli, mundi, carnis strepitum aures arrigit, ostiumque illud nullo momento neglijit. Nec sufficit vaga quædam & intermissa erga vulnera Christi devotio & memoria, sed ut continua illa sit, Salvator noster efflagitat, ideoque in textu allegato, verbo illo *Quotidie usus est*; ita ut quis verus eorum cultor esse optat, singulis diebus, quantum Christiano aliis negotiis mundanis occupato licet, si non integrum Crucifixi passionem, tamen unum vel al-

PRÆFATIO

terum ejus Mysterium mente suā recolere, quinque autem Redemptoris Vulnera sibi singulis momentis ob oculos ponere teneatur. Sed qualem ejusmodi assiduus & vigilans Passionis & Vulnerum Christi contemplator sibi acquirit utilitatem? omnium maximam; inveniet enim, teste Salomone, in ejusmodi concatenata memoriam vitam aeternam, & hauriet salutem à Domino. Ut in arte pictoriā Pictorum facilè Princeps Apelles summam sibi conciliaret perfectionem, vix ullam intermisit diem, in qua non ad minimum unam vel alteram duceret lineam, secundum symbolum illud ipsi familiare:

NULLA DIES SINE LINEA.

Ah! quantò majorem quilibet Christianus, ad imaginem Dei creatus, & per lavacrum Baptismi albo fidelium inscriptus adhibere debet diligentiam, ut imaginem Crucifixi in corde suo continuâ contemplatione vivis depingat coloribus. Ars illa pictoria est vana; divina, ars meditandi Passionem Domini; illa inflat, hæc humiliat; illa cultorem suum interdum reddit fatuum, hæc contemplatorem sapientem: illa obscenis sæpenumero inservit usibus, hæc obscenas extinguit cogitationes

AD LECTOREM.

tiones & phantasias: illa vanam in hoc mundo, hæc æternam in cœlo nobis acquirit gloriam: Passio Domini est ille *Fasciculus Myrræ*, qui inter ubera Sponsæ Christo dilectæ continuò commorari debet.

Cant. 1. Passio Domini est Codex, ex quo Doctor gentium, uti ipse 1. ad Corinth. 2. testatur, summam & unicam suam accepit scientiam, dicens: *non judicavi, me scire aliquid, nisi Iesum Christum & hunc Crucifixum.* Passio Christi est insignis ille ambo sine cathedra, ex qua S. Apostolus Andreas in cruce pendens gentiles adstantes Evangelium usque ad extremum docuit halitum. Hæc est augustinissima illa Bibliotheca, ex quâ S. Bonaventura (uti ipse erga S. Thomam Aquinatem testatus est) profundam illam, quam tota Ecclesia Catholica in hoc Doctore Seraphico admiratur, scientiam edidicit. Hæc memoria est uberrimus ille fons, ex quo *Vitam æternam & salutem à Domino secundum textum allegatum quotidie haurire possumus.* Hæc est illa salina, ex qua sal sapientiæ jugiter depromere licet. Hic est botrus in vecstem Crucis appensus, qui nos, teste Taulero de vita & passione Domini cap. 24. de terra promissionis reddit certos & securos. Hæc me-

## PRÆFATIO

moria secundūm orthodoxam senten-  
tiā pīi Bloſſi in iſtructiōne vitæ asceti-  
cæ fol. 690. eſt prætantissimum opo-bal-  
ſamum, quod illi, qui Paſſionem & Mor-  
tem Domini quotidiē & devotē mente  
ſuā colit, ſuavifſimum reddit odorem.  
Hæc firmiſſima in mundi pelago ſpeſ no-  
ſtræ eſt anchora, tutiſſimūmque contra  
tentationes diabolicas ſcutum & præſi-  
dium. Eſt armatura fidei, ut illā iſtructi  
poſſimus ſtare contra iñſidias Diaboli, Ephes.  
6. verſ. II. Audiamus aquilam inter  
Doctores Ecclesiæ S. Auguſtinum, qui ex  
propriā experientiā de hāc aſſiduā com-  
memoratione ita diſerit in manuduct.  
cap. 22. Cūm me pulſat turpis aliqua cogita-  
tio, recurro ad vulnera Christi; eūm me re-  
primit caro mea, recordatione vulnerum  
Domini mei resurgo; cūm diabolus mihi pa-  
rit iñſidias, fugio ad viſcera misericordiæ  
Domini mei; & recedit à me. Et ſecun-  
dūm teſtimoniūm S. Chrysostomi Tom.  
5. ſerm. 8. Christi Crux Dei in homines odiūm  
reſtinguit, eum cū hominib⁹ reconciliat,  
terram cælum efficit, homines cū Angelis  
miſcet, mortis arcem munitiſſimam diruit.  
Et ideò allegatus Doctoſ Seraphicus in  
Tom. 7. ſtim. amor. cap. I. exclamat: O  
pas-

AD LECTOREM.

passio mirabilis, quæ suum meditatorem non  
solum reddit Angelicum, sed etiam divinum.  
Devotus etiam Blosius in conclavianimæ  
cap. 10. §. 7. n. 2. utilitatem hujus con-  
templationis eleganter depingit in se-  
quentibus verbis: Neque scribi, neque cogi-  
tatione comprehendipotest, quantum fructum  
homo bona voluntatis referat ex pia medita-  
tione Passionis Dominice. De aliis quidem  
Christianæ Religionis articulis & myste-  
riis, imprimis de Redemptoris nostri  
Conceptione, Adventu, Nativitate, Cir-  
cumcisione, Resurrectione, Ascensione,  
&c. certa, sancta Mater nostra Ecclesia  
Catholica eum in finem instituit Festa, ut  
ejusmodi Mysteria statis per annum  
temporibus recolantur; quod verò ejus  
Passionem & Mortem attinet, voluit, ut  
ejus memoria pertotum terrarum or-  
bem omni momento & quovis in loco  
celebretur, quia incruentum illud Sacrifi-  
cium à Christo in ultimâ cœnâ institu-  
tum, & per totam Ecclesiam quotidiè  
oblatum, est quædam Passionis & Mortis  
Domini renovatio mystica & perennis,  
ac proindè juge vocatur sacrificium, quia  
multis in locis eo tempore, quo apud  
nos nox ingruit, ad gentes remotas dies

## PRÆFATiO

albescens ab aurorâ ortum suum ducit,  
uti hoc probè notavit Josephus Mansi in  
Biblioth. mor. Tom. 3. tract. 59. disc. 1.

Cùm igitur tam insignis in assiduâ  
Passionis Dominicæ memoriâ lateat utili-  
tas & fructus, ita ut diligens contempla-  
tor in illâ *Vitam & salutem invenire*, &  
Angelicus, imò divinus reddi possit; quid  
cessas, O Benevole Lector, Redempto-  
rem tuum patientem singulis diebus in  
verâ devotione & cordis contritione  
contemplari? molestum fortè hoc pro-  
pter alia negotia officio tuo, vitæque sta-  
tui incumbentia tibi videtur: ecce in  
sequentibus paginis compendiosam tibi  
methodum, quâ maximum illum the-  
saurum in commemoratione Passionis  
& Mortis repositum facile, quartam ho-  
rà partem singulis diebus menstruè im-  
pendendo, finè reliquorum negotiorum  
dispendio, depromere poteris, tibi sub-  
ministrare, & dubio obmoto hoc pacto  
occurrere volui. Mitissimus Salvator  
noster tres suos Discipulos in prædio  
Gethsemani, dum ipse tempore noctur-  
no orationibus vacat, in utramque ster-  
tentis aurem blandis alloquitur verbis:  
*Simon dormis? Sic non potuisti unâ horâ*

Vi-

AD LECTOREM.

vigilare mécum? vigilare & orate, ut non  
intretis in temptationem. Crede mihi, ô Le-  
ctor, quod Redemptor mihi & cuilibet  
Christiano, qui mécum in ejusmodi me-  
ditationibus tam segnis hactenus fuit,  
eandem reprehensionem objiciat, dicens:  
O cosmophile dormis? non potuisti ad  
fores manuum & pedum meorum quo-  
tidiè, non per integrum horam, sed tan-  
tum per unius horulæ quadrantem vigi-  
lare, & observare ad postes ostii in latere  
meo tibi lanceâ aperti? Vigila, & ora, ut  
non intres in temptationem; Sed vitam in-  
venire & Salutem à Domino tuo haurire pos-  
sis. Gratiam fidejussoris ne obliviscaris ( mo-  
net Ecclesiasticus cap. 29. ) dedit enim  
pro te animam suam. Fidem quidem pro  
debitoribus alii fidejussores interponunt,  
& creditoribus bona sua hypothecâ obli-  
gant; animam verò & vitam sibi reti-  
nent. Quinam igitur ille est fidejussor?  
nemo aliis, quam Dominus noster JE-  
sus Christus, qui tanquam Pastor fidelissi-  
mus animam suam pro ovibus posui  
suis. Hanc sumnam gratiam à fidejusso-  
re sanguineo toti generi humano exhibi-  
tam, ut quotidie gratâ mente recolamus,  
efflagitat Ecclesiasticus in dicto textu.  
Ad hanc piam intentionem sequentes

PRÆFATIO

30. conscripsi meditationes, in iisque primaria & præcipua Passionis Domini-  
cæ Mysteria tractavi, in honorem Ss, Vul-  
nerum. Singulis meditationibus 3. Pater  
& Ave, & in salutatione Angelica post no-  
men JESUS nucleus absolutæ medita-  
tionis addidi. Nolui in hisce contem-  
plationibus verbis uti pomposis & thea-  
tralibus, quæ cogitationes nostras faci-  
lius distrahere, quam colligere solent, sed  
illas rudi & vulgari stylo exaravi, quo  
contemplator mentis acumen ad ipsum  
Mysterium, verborum elegantiâ insuper  
habitâ, dirigere possit.

Quoniam verò hæc scribendi metho-  
dus in personis negotiis civilibus obrutis  
non adeò frequens esse solet, ne suspicio-  
nem incurram, ac si tanquam Saul inter  
Prophetas falcam sacerdalem in alienam  
messem ex vanâ ostentatione immittere  
voluerim; Benevolo Lectori occasionem  
harum lucubrationum paucis exponam.  
Ante triennium in Festo Nativitatis Chri-  
sti exhibuit mihi in Carmelo R R. PP.  
Discalceatorum Heidelbergensi exerci-  
tiis spiritualibus occupato Pater meus  
Confessarius libellum à R. P. Guilielmo  
Stanhurstio Soc. Jesu, sub titulo, *Dei im-*  
*mor-*

AD LECTOREM.

mortalis in corpore mortali patientis historia,  
conscriptum; voluitque, ut durante hac  
devotione asceticâ per paucos tantum  
dies à me institutâ assiduâ hujus devo-  
tissimi libri lectione verum erga JESUM  
patientem amorem & dolorem in men-  
te meâ incendere, & continuam in corde  
humiliatio de peccatis commissis contri-  
tionem elicere vellem. Præstigi (uti fi-  
lium spirituale decet) salutari huic  
monito debitum obsequium, & ingenuè  
fateor, me ex frequenti hujus libri devo-  
tissimi usu majorem, quam dictus Con-  
fessarius mihi laudare potuit, ac mens  
mea concipere, calamusque exprimere  
valet, accepisse utilitatem, ita ut finitis  
his exercitiis ad lares privatos reversus  
constituerim ex elegantissimo hoc libro  
flosculos quosdam pro privatâ meâ de-  
votione & jugi Christi patientis memo-  
riâ colligere: quod tamen propositum  
per concatenatos illos labores cum ratio-  
ne officii mei ordinarii, tum intuitu com-  
missionis circa religionem, ejusque exer-  
citium Catholicum clementissime mihi  
per integrum Palatinatum inferiorem  
demandatae incumbentes ad finem per-  
ducere impeditus fui. Demum Düssel-  
dor-

## PRÆFATIO

dorpij Anno 1709. per tempus quadri-  
mestre in majore degens otio lucubratio-  
nes Heidelbergæ interruptas reassumpsi,  
& excerpta Stanhurstiana, paucis tantum  
proprio Marte inventis & additis, in or-  
dinem menstruum redigi. Supervenit  
laboranti Vir Reverendissimus Domi-  
nus Thyron Canoniz in Ravengirsburg  
Præpositus, Primarius in Aulâ Electorali  
Eleemosynarius & Sacellanorum pri-  
mus, intuënsque schedulas quasdam in  
mensâ meâ dispersas, in quanam materiâ  
calamus meus occupatus sit, scire voluit;  
exposui ipsi meum conatum, quem lau-  
davit, & opus coëptū ut absolvere velim,  
auctor fuit, insupérque priorem illius  
partem, sivè 15. meditationes priores  
jam elaboratas, in volumine separato  
compactas, sècum contulit, quò illas in  
musæo suo majore cum otio perlustrare,  
& judicium suum, uti desideravi, mihi  
desuper communicare possit: qui factâ  
perfectione illas in tanto habuit pretio,  
ut non dubitaverit serenissimo ac poten-  
tissimo ELECTORI PALATINO, Prin-  
cipi ac Domino meo Clementissimo  
manuscriptum meum (ad quod tritum  
illud dieterium, an etiam gallinae habeant

AD LECT  
quadrat  
millimè exhibere.  
NITAS ELECTOR  
guis lucubrationib  
luper pro summa  
erga Christum pa  
ne, tam quoad  
quam quoad in  
cam clementis  
tenor literaru  
Thyron ad me  
guaglica exa

Je joins icy  
me Son Alt. Elec  
apres l'avoir pa  
tant, qu'il tuy a  
Alt. Elec. m'a  
la part, qu'il en  
vous encourage  
mettre à sa per  
soin de l' impres

Düsseldorf d.

1710.

Cum igitur ser  
luntas clementissi  
norma colligatis n

AD LECTOREM.

manus, rectè quadrat) datâ occasione humillimè exhibere. Quid SUA SERENITAS ELECTORALIS de hisce exiguis lucubrationibus judicaverit, & de super pro summa illa, quam in animo erga Christum patientem colit, devotione, tam quoad absolutionem opusculi, quam quoad impressionem typographicam clementissimè disposuerit, sequens tenor literarum, quas laudatus Dom. Thyron ad me ex Aula Electorali in lingua gallica exaravit, ostendet :

Je joins icy votre rare mauserit, comme Son Alt. Elect. me l'a remis en mains, apres l' avoir parcours & l'avoir lû, autant, qu'il luy a été possible. Sa ditte Alt. Elect. m'a chargé, de vous dire de sa part, qu'il en avoit eu du plaisir, & de vous encourager aussi de sa part, de le mettre à sa perfection, voulant avoir soin de l' impression.

Dusseldorf d. 9. Julliet

1710.

Cum igitur serenissimi Electoris voluntas clementissima lex præscripta & norma constans mihi servorum infimo esse

PRÆFATIO

esse meritò debeat, Lector hanc humili-  
mam partitionem mihi vitio non verter,  
potius ab omni vana gloria & inani ( quæ  
in ejusmodi scriptis sæpe numero quæri  
solet) ostentatione absolvet; Deum enim  
contestor, has contemplationes ab initio  
privatae meæ devotioni unicè, minimè  
verò publicæ luci & aliorum usui desti-  
natas fuisse.

Hactenus pro defendendâ fide ortho-  
doxâ ejusque exercitio duodecim ex-  
ravi opuscula, eaque publici juris fieri  
curavi. Ad senium jam declinans ( æta-  
tis enim annum 58. conversionis autem  
ad Ecclesiam Catholicam 18. ante pau-  
cos absolvi dies ) calatum meum zelo-  
sum quieti relinquo.

Claudite nunc rivos, satis est, jam pra-  
ta biberunt.

Unicus mihi adhuc superfuit rivus ex  
Vulneribus Christi profluens, omnium  
reliquorum rivulorum optimus & fœ-  
cundissimus, quo animam meam in hisce  
30. meditationibus quotidiana contemplatione inundare, ac peccatorum for-  
des abluere mihi proposui; illum tamen  
ex ansâ enarratâ, & humillimâ obedien-  
tiâ, mediantibus typis, in aliena simul de-  
cli-

Finis alias c  
finale scriptum  
cipium est & fi  
nare possit, Le  
bit.

Crucifixij 29

17

AD LACT  
linavi prata. Faxi  
ector omnes fructu  
lions Dominicae  
re porci, ex affidu  
meditationum u  
igitur Christi sit  
sculorum & labo  
potius corona i  
Omnia tunc  
dō bona

AD LECTOREM.

clinavi prata. Faxit Deus, ut benevolus lector omnes fructus, quos ex devota passione Dominicæ contemplatione sperare potest, ex assiduo harum exiguarum meditationum usu consequatur. Passio igitur Christi sit omnium meorum opusculorum & laboris exantlati coronis, vel potius corona immarcessibilis.

Omnia tunc bona sunt, clausula quandò bona est.

Finis alias coronat opus. An verò hoc finale scriptum in nomine illius, qui principium est & finis, finitum reliqua coronare possit, Lector æquo animo judicabit.


*Crucenacij 29. Decembris.*

1710.

CHRISTIANUS RITTMAYER.

t t

PRAE-



## PRECES

*Ante meditationem pro lubitu  
recitande.*

*Antiph.* Veni Sancte Spiritus,  
reple tuorum corda fidelium ; &  
tui amoris in eis ignem accende :  
qui per diversitatem linguarum  
cunctarum gentes in unitate fi-  
dei congregasti. Alleluja, Alleluja.

### O R A T I O .

**A**ctiones nostras , quæsumus  
Domine , aspirando præve-  
ni , & adjuvando prosequere ; ut  
cuncta nostra oratio & opera-  
tio à te semper incipiat , & per te  
coæpta finiatur , Per Dominum  
nostrum Jesum Christum . &c.

O Do-

O! Domine JESU Christe, Fili  
Dei vivi; qui, ut genus humanum,  
primorum parentum nostrorum  
prævaricatione, ad æternam mor-  
tem condemnatum, Patri tuo  
coelesti conciliares, & ab interitu  
liberares, de cœlo ad hujus mun-  
di terrena descendere, in utero  
Virgineo carnem nostram assu-  
mere, & post varia tormenta tan-  
dem in sanctissimâ Crucis arâ  
pro deponendâ peccatorum no-  
strorum sarcinâ temporalem &  
ignominiosam mortem spontè  
subire dignatus es: assiste mihi,  
quæso, in hoc temporis momen-  
to gratiâ tuâ, cor meum ab omni-  
bus vanis, alienis & perversis co-  
gitationibus munda, intellectum  
illumina, memoriam excita, vo-  
lun-

luntatem & affectum inflam-  
ma, & hanc præsentem me-  
ditationem, in quâ abscondita  
sanctissimæ Passionis tuæ My-  
steria animo revolvere mihi pro-  
posui, ritè instituere, & ad finem  
perducere, de omnibus peccatis  
meis cum verâ cordis contritione  
dolere, dignè, devotè & attentè  
orare & exaudiri merear, per  
Passionis & mortis tuæ Mysteria  
& merita; qui vivis cum Deo  
Patre, in unitate Spiritus Sancti  
Deus, per omnia sæcula  
sæculorum. Amen.



MY-



# MYSTERIUM PASSIONIS DOMINICÆ PRIMUM.

Meditatio pro prima die Mensis.

I.

*Christus in horto propter peccata  
nostra usq; ad mortem angustiatur.*



Domine Jesu Christe, Alpha & Omega,  
Principium & Finis, Vita  
& Virtus in omni tempore, cui  
omnis potestas data est in cœlo  
& in terrâ, tuo auxilio, & favo-  
re æterni Patris, qui in principio  
creavit cœlum & terram, nec  
non assistentiâ Spiritus Sancti, qui  
replevit orbem terrarum gratiâ  
suâ, proposui mihi, per singulos

A

præ-

præsentis Mensis N.N. hodie cœpti dies primaria quædam Paſſionis tuæ ſanctissimæ Mysteria de-votè meditari, quoniam docente Thoma de Kempis in Soliloquio animæ, cap. 25. *Beneficium redēptionis noſtrae ex Paſſione Dominica profluētis bene cogitatū, excitat deſideria noſtra, inflammat corda, nutrit devo-tionem, illuminat mentem, purgat affectum, trahit ad cœlum, retrahit à mundo, ducit ad Christum & animam unit Christo.* Sit igitur in nomine JESU Patientis prima primæ diei materia meditationis, *extremus ille pavor & tristitia, quām dilectissimus Salvator noster in horto Gethſemane ad Patrem suum orans in animâ*

us-

usque ad mortem tristi sustinuit.

Magnus ille Samson, ex Decreto sanctissimæ Trinitatis de cœlo ad terram, ut exspoliaret Principatus ac Potestates, totumque genus humanum ab æternâ damnatione liberaret, missus, tempore nocturno properat ad dictum prædium Gethsemane, tanquam locum Orationis consuetum, solitarium, à turbis secretum, ab arbitris remotum, ac ita in arenam prælia Patris <sup>sui</sup> sub præliaturus descendit, & ideo hortum elegit, in illoque initium hujus prælia fecit, quia Protoplasti Divinæ Majestati ejus leges præscriptas, instinctu Satanae transgrediendo, primum in horto indexerunt bellum. Simul a hortum in-

greditur & ad magnum illud præ-  
lium, ex cuius victoriâ totius ge-  
neris humani dependebat salus &  
redemptio, se accingit, ipsi omnia  
hujus mundi mala tam præterita  
& præsentia, quam futura in fune-  
stissimo theatro proponuntur.  
Audivit enim ex famoso tartaro-  
rum baratro sub pedibus patefa-  
cto terrificos dæmonum ac dam-  
natorum rugitus, eorumque blas-  
phemas voces, ex flammis sulphu-  
reis contra Divinam Majestatem  
indesinenter eructatas, insimulq;  
reprobationem malorum per sua  
flagitia damnandorum, in serenis-  
simo speculo conspexit, & ad  
hunc funestissimum aspectum tre-  
munt ejus membra, expallescit  
vultus, anhelat pectus, palpitat cor,  
horret animus, pavet spiritus.

Ob-

Obstupuit , steteruntque co-  
mæ, vox faucibus hæsit : ita ut ex-  
clamare coactus sit Redemptor  
noster, *tristis est anima mea usq;*  
*ad mortem, & cum Jobo cap. 14.*  
contestari, *in tristissima hac nocte,*  
*in horrore visionis nocturnæ ,*  
*quando sopor solet occupare ho-*  
*mines, pavor tenuit me & tre-*  
*mor, & omnia ossa mea perter-*  
*rita sunt, & cum Regio Vate*  
*Psalm 54. conqueri, timor & tre-*  
*mor venerunt super me. Prô*  
*Deum immortalem, quale hoc*  
*est spectaculum ! quam feralis hæc*  
*est tragœdia ! dum ipsa fortitudo*  
*trepidat, constantia nutat, poten-*  
*tia Divina timet, Deus-Homo pa-*  
*vet, ejusque *anima usq;* ad mor-*  
*tem *tristis est.* Sed dic mihi O tri-*

stissime JESU! causam hujus pavoris, ostende originem hujus extremæ mœstitiæ, monstra mihi impium illum authorem, qui tibi ejusmodi extremam tristitiam & angustiam inferre non erubuit. O peccator! super te & propter peccata tua ita paveo, *tristisq; est anima mea usq; ad mortem*, quia animam tuam variis contaminasti flagitiis & peccatis mortalibus. Egone O JESU, tibi causas ejusmodi pavoris & tristitiæ dedi? Egone ex corde tuo tot extorsi gemitus, ex ore tuo lamenta? Egone author angustiarum, quas in horto perpessus est, fui? Pro! quantas mihi ipsi peccatis meis conciliavi miserias! quo me in his angustiis convertam, nisi ad te O mitif-

mitissime JEsu, cuius proprium est, misereri semper & parcere, cuius gaudium est super uno peccatore, veram poenitentiam a gente. Peccavi, fateor, & divinam Majestatem flagitiis meis millies offendii. Peccavi in Cœlum & coram te, sed propter tantam tuam tristitiam in horto ob peccata mea conceptam parce pectori ad te revertenti. Leo quidem es de tribu Juda, per flagitia mea toties ad iram provocatus, & ideo merito paveo, sed scio insimul, te esse agnum DEI, qui tollit peccata mundi, & ideo in te spero. Justus es, cuius justitiam metuo, sed frater es, & ideo te ut misericordiæ fontem diligo. Confige igitur timore tuo carnes

*meas, ut omnipræsentiam tuam  
mihi jugiter ob oculos ponere,  
omnia quæ Divinæ Majestatis  
tuæ purissimis oculis ullo modo  
displacent, in timore & tremore  
evitare, & à malo declinare pos-  
sim. Accende insuper, O Amor,  
amoris mei cor meum in amo-  
rem tui, ut te ex intimo corde di-  
ligere, mandata tua ad amissim  
observare, & in eorum semitâ  
constanter ambulare possim, ac  
ita à malo declinando, rigorem  
justitiæ tuæ declinabo, miseri-  
cordias autem tuas benefacien-  
do in aeternum cantabo. Amen.*

*Quinque Pater & Ave. Et in salutatio-  
ne Angelica post Nomen IESU :*

*Qui in horto usque ad mor-  
tem angustiatus est.*

MY-

MYSTERIUM  
PASSIONIS DOMINICÆ.  
SECUNDUM.

Meditatio pro secunda die Mensis.

I I.

*Christi in horto Oratio.*

Dominus noster JESUS Christus æternus Dei Filius totius mundi in maligno positi, molem solus sustinens, usque ad tedium mœstus, usque ad tremorem pavidus, usque ad mortem tristis, torcular iræ divinæ solus calcans, tanquam Advocatus noster apud Patrem iratum in horto incurvat genua, projicit se in terram, & ad Patrem suum expansis in cœlum manibus exclamat: *Pater mi!*

mi! si possibile est, transeat à me  
Calix iste, verum non sicut ego  
volo, sed sicut tu.

O prodigium humilitatis, qui  
enim in principio creavit cœlum  
& terram, exclamat in cœlum, &  
super hanc in faciem suam proci-  
dens ad Patrem orat; ac ita Maje-  
stas Divina propter humani gene-  
ris flagitia in terram prostrata est.  
Succincta quidem fuit Christi o-  
ratio, sed maximi ponderis & so-  
latii, in qua præprimis insignem  
illam, quam Dominus inter timo-  
rem & amorem expertus est, lu-  
ctam cum stupore admirari licet:  
exclamat timor, transeat à me ca-  
lix iste, reclamat amor, non si-  
cūt ego volo, sed sicut tu. Pro-  
pinat Medicus cœlestis calicem,  
eun-

eundem homo infirmus rejicit;  
Timor vult calicem in terram ef-  
fundere, amor autem illum bibe-  
re desiderat. Dum igitur Chri-  
stus ipse illam inter timorem &  
amorem luctam subire non dubi-  
tavit, quid mirum ! miseros nos  
mortales in hac fragilitate huma-  
na eandem experiri. Porrigit  
quidem nobis Divina Majestas  
calicem paupertatis, ignominiæ,  
famis, morbi, persecutionum, ca-  
lamitatum variarum &c. prom-  
ptus etiam est Spiritus noster ad  
accipiendum calicem istum licet  
amarum, infirma autem resistit  
caro, calicemque porrectum ac-  
cipere & bibere recusat, potius ut  
ille transeat, urget. In aulis Magna-  
tum moris imprimis, vero Impe-  
ra-

ratorum & Regum Coronatione  
solemnitatis est, ut Archi-Pincer-  
na poculum porrectum, ad ex-  
cludendam veneni suspicionem,  
evitandumque toxicí periculum,  
prægustet. O Christiane ad quan-  
tam evectus es dignitatem, dum  
Salvator tuus JESUS Christus, tan-  
quam Archi-Pincerna coelestis,  
in horto calicem à Patre oblatū,  
non tantum dulcissimis suis labiis  
prægustavit, sed ad fundum ferè,  
relictis tantum pro discipulis suis,  
& aliis piis fidelibus paucis guttu-  
lis, exhausit; & tu quem Deus  
ad Coronam æternæ gloriae vo-  
cavit, hunc calicem bibere re-  
nuis. Absit! amplectere potius  
calicem illum ambabus manibus,  
& suspira.

Eja

Eja Pater cœlestis, tu mihi quotidie Calicem, ut hauriam illum, offiers, à tuis paternis mihi sic porrigitur manibus, acitâ, quia à Te proficiscitur, tuus est, fiat igitur cum illo non mea, sed tua, quæ omnia liberè disponit, Voluntas: absitâ me O Deus meus & amor meus, ut quod tu non vis, sed potius Divinæ Majestati tuæ displicet, ego velim. Tua voluntas, mea voluntas, imò quia tua esse cœpit, mea amplius non est, sed in omnibus tuæ voluntati conformis esse debet. Vis igitur me angustiari? volo & ego. Vis me tabescere? fiat itâ. Vis me ad incitas redigi? non respuo paupertatem. Vis me doloribus affligi? non reluctor. Vis me

me ab omnibus amicis deserit &  
solatio destituit non renuo. Vis  
me pluribus exerceri adversis?  
paratus ad omnes afflictiones  
sum. Vis variis inimicorum meo-  
rum calumniis & persecutioni-  
bus me exponere? non recuso.  
Vis me converti & vivere? quo-  
niam hanc voluntatem tuam per  
Vatem tuum juratò contestatus  
es, en cor meum contritum &  
humiliatum, quod tu nunquam  
despicere voluisti. Vis me mori?  
etiam in morte ad ultimum hali-  
tum mea voluntas tuæ sit confor-  
mis. Eam quam mihi largitus es,  
arbitrii mei libertatem, tuæ omni-  
modè dispositioni ita subjicio, ut  
illam cum Ecclesia orans: *nostras*  
*etiam rebelles ad te propitius com-*

*pelle*

pelle voluntates, etiam cogi &  
vinciri cupiam, ne contra divinam  
voluntatem tuam, vel minimum  
comittam, sed hæc mea unica sit  
voluntas, voluntatis tuæ placitum  
in omnibus quærere, facere & ad-  
implere. Submissâ igitur totius  
tum corporis, tum animi reve-  
rentiâ, ad pedes tuos me proster-  
no, cum summâ veneratione ex-  
hibentis manum, in quâ omnes  
fortes meæ notatæ sunt, exoscu-  
lor, & ex illa calicem licet ama-  
rum lubenter & spiritu ad patien-  
tiam prompto, reluctante quam-  
vis carnis infirmitate, accipio,  
certus illum nullo intoxicatum  
esse veneno, sed potius ani-  
mæ maximè salutarem: ut ve-  
rò

rò illa quæ in hoc calice adhuc  
superest amaritudo tollatur, sup-  
pono illum sacratissimæ tuæ fron-  
ti, ut in calicem particula sangu-  
nei in horto sudoris destillet, sub-  
mitto hunc amabilissimis oculis  
tuis, ut in illum defluat vel unica  
lachrymula, applico illum lateri  
tuo lanceâ militari aperto, ut in  
illum una tantum sanguinis tui  
pretiosissimi gutta decidat, quo-  
niam ad tollendam omnem cali-  
cis mihi propinati amaritudinem  
vel unica sanguinis guttula suffi-  
cit. Sic bibam calicem hunc  
quem Paternis tuis exhibuisti  
manibus salutarem, ut illo exhau-  
sto introducas me in cellam vi-  
nariam, ubi torrente æternæ vo-  
luptatis potab-  
bor ubertate  
Quinque Pat-  
ne Angelica puf-  
Qui in  
fi.

lupta-

Iuptatis potabis me, & inebriabor ubertate domus tuæ. Amen.

Quinque Pater & Ave. Et in salutatio-  
ne Angelica post nomen IESU :

Qui in horto ad Patrem ora-  
sti.

---

MYSTERIUM  
PASSIONIS DOMINICÆ  
TERTIUM.

Meditatio pro tertia die Mensis.

I I I.

*Christus in horto Sanguinem  
sudat.*

Dum Salvator noster JESUS  
Christus in prædio Gethse-  
mane orationibus vacat, & cau-  
sam illam maximam totius gene-  
ris humani salutem concernen-  
tem tanquam fidelissimus apud

B

Pa-

Patrem Advocatus & Mediator  
strenuè agit, maximum in sacra-  
tissimo ejus pectore timorem in-  
ter & amore exoritur certamen,  
dum timor ipsi instantis passionis  
& mortis crudelitatem ob oculos  
ponit, Amor ejus verò necessita-  
tem efflagitat. Sed tandem ti-  
mori succumbenti amor, omnia  
vincens, palmam præripit, & san-  
guis, qui ex timore circa cor ad il-  
lud corroborandum se effudit, ab  
amore ad exteriores corporis par-  
tes tantâ cum vehementiâ re-  
pulsus est, ut patefactis cunctis  
totius corporis poris ipsam car-  
nem penetraverit, ex omnibus  
membris maximo cum impetu  
sese effuderit, & locum orationis  
sanguineo suo sudore rigaverit.

Si

Si igitur O peccator magnitudinem peccatorum tuorum cognoscere, & de iis rectè dolere non potes, propera ad hortum Gethsemane, considera animam Salvatoris tui usque ad mortem angustiatam, vide ab Angelo tanquam creaturâ Creatorem confortatum, Regem cœli & terræ propter peccata nostra ad terram prostratum, aspice sanguineum sudorem, quem non tam timor quam amor è sacratissimis ejus membris tanquam ex botro expressit; ex amaritudine medicinæ gravitatem morbi tui collige, & si haec tragœdia, hic miserrimus aspectus, te ad veram cordis contritionem morumque perversorum emendationem mo-

vere non poterit, truncus es, lapis, saxumque, & de tua salute actum erit. Horret innocentissimus Iesus instantem & prævisam corporis mortem, & tu O mortalis! non horres mortem animæ tuæ, peccatum scilicet mortale, mediante quo anima periculo æternæ mortis exponit? largissimas durante oratione & agoniam Redemptor noster Deo Patri offerat lachrymas, & tu O peccator perverse commoveri non potes, ut vel unica lachrymarum guttula propter innumera tua flagitia ex oculis profluat. Sudavit amantissimus Salvator sanguinem propter peccata tua; sed responde mihi, an tentationibus diabolicis, mundi & carnis unquam

quam, non dicam ad sanguinem,  
sed ad sudorem tantum restiteris.  
Si ex meo ingenio & corruptis  
moribus, proximum meum ju-  
dicare licet, an hoc unquam à te  
factum sit, valde dubito. O mi-  
serissimum peccatoris statum! Pœ-  
nitet, O mittissime JEsu! me pec-  
casse, ac Divinam Majestatem &  
bonitatem tuam flagitiis meis  
tam graviter offendisse: doleo  
corditus de peccatis meis, & id  
maxime doleo, quod de illis plena-  
riâ contritione & in finito do-  
lore dolere non possim. Insimul  
propono omnes animæ meæ ma-  
culas, quas sceleribus meis con-  
traxi, si non sanguine, largis ta-  
men lachrimis cum peccatrice illa  
eluere, mores meos corrigere, à  
pra-

pravis consuetudinibus desistere,  
& in servitio tuo usque ad vitæ  
meæ finem permanere. Tu O  
sponse sanguinum, qui pretiosissi-  
mo sanguine animam meam  
perditam redimere voluisti, mihi  
gratiam tuam, ad propositum  
hoc obtainendum, & in illo perse-  
verandum per sanguineum hunc  
sudorem, largiri, animamque  
meam tot flagitiis maculatam à  
peccatorum lepra mundare velis.  
Sanguis tuus in horto per fudo-  
rem expressus, sit super me & a-  
nimam meam. Sit mihi pignus  
æternæ salutis, arrha sponsalitia  
futuræ gloriæ, lytrum redem-  
ptionis, refectio animæ meæ in  
agonē, ut tandem cum electis tuis  
modulari carmen illud possim:

Re-

Redemisti nos Deus in sanguine  
tuo. Amen.

Quinque Pater & Ave. Et in salutatio-  
ne Angelica post nomen IESU:

Qui pro nobis sanguinem su-  
davit.

---

MYSTERIUM  
PASSIONIS DOMINICÆ  
QUARTUM.

Meditatio pro quarta die Mensis.

IV.

*Christus Discipulos somno sepul-  
tos reprehendit.*

Quemadmodum magnus bel-  
li dux in prælium iturus  
non solus incedere , sed ejus latus  
equitum turma , peditum cohoret-  
tes, calonum & lixarum greges

stipare solent, ita Rex Regum &  
Dominus Dominantium hortum  
Gethsemane tanquam electum  
futuri prælii campum ingrediens,  
certos eò deduxit comites, non  
quidem densum militum vel e-  
quitum agmen, multò minùs ali-  
quot Angelorum Legiones, &  
Seraphinorum Myriades, sed in  
signum, regnum suum non esse  
de hoc mundo, ex discipulorum  
numero tres, quos præ cæteris in  
deliciis habuit, Petrum, Jacobum,  
& Joannem elegit, ut quos olim in  
monte Thaboræo gloriæ Divinæ  
habuit spectatores, eosdem ma-  
ximæ in horto mœstitiæ adhibe-  
ret testes: Dum igitur ab illis,  
quantum jactus est lapidis avulsus  
orationibus vacat, & usque ad  
mor-

mortem angustiatur, sanguineum  
effundit sudorem, hi tres discipuli  
de Magistri salute parum solliciti  
in utramque aurem dormiunt;  
Redit Salvator & Discipulos ster-  
tentes blandis verbis excitat, di-  
cens: *Simon dormis? sic non po-  
tuistis una horā vigilare mēcum,  
vigilate & orate, ut non intretis  
in tentationem, spiritus quidem  
promptus est, sed caro infirma;*  
Surdis autem narratur fabula, &  
Apostoli Christo ad orationem  
recedente in graviorem incident  
somnolentiam. O supina socor-  
dia! O pudor! O opprobrium!  
Itáne O Apostoli in statu tam pe-  
riculoso potuistis dormire? in  
perniciem Christi conspirat tota  
Hyerosolyma, vigilat Judas, ut

JEsum vilissimo venditum pretio,  
in manus inimicorum tradat; vi-  
gilat Annas, ut eum captiosis in-  
terrogationibus circumveniat;  
vigilat Caiphas, ut reum capit  
Jesum agat; vigilant Seniores ut  
eum accusent, eumque in finem  
falsa testimonia conquerunt; vi-  
gilant Pharisei, ut Salvatorem ir-  
rideant; vigilant carnifex, ut  
eum flagellent; vigilant omnes  
ejus inimici, ut JEsum divexent,  
agitent, convellant, dilanient, &  
morti tradant. Sed dum omnes  
in Christi perniciem totâ vigi-  
lant nocte, eumque in finem om-  
nem movent lapidem, quid inter-  
rim tres illi faciunt Discipuli, &  
quibus vacant curis? fortè Judam  
ad rectam viam reducere allabo-  
rant?

rant? Non, fortè ut Magistrum ab instantibus periculis & insidiis liberent, sunt solici? Non, forte cæcos, mutos, surdos, leprosos, mortuos, quibus Christus Tautomaturgus suis manibus pristinam sanitatem & vitam restituit, convocant, quò illos coram Synagoga & tribunali Pilati tanquam testes divinorum miraculorum, omni exceptione majores, producere possint? Non; sed illi soli, coeteris impiis vigilantibus, sunt, qui quamvis de instanti Magistri passione & morte, ex ipsius ore bene informati, quasi arduum illud negotium, hos non concernat, securi dormiunt, *& de damnno Joseph parum sunt solici*. O abominabilis socordia, in quâ tam

men omnes ferè mortales sopiti  
quiescunt, & ut mortalia obti-  
neant, die ac nocte laborant, circa  
imortalia autem securi dormiunt,  
imò plures, ut æternam salutem  
amittant, quam ut illam acqui-  
rant, & ut viam ad infernum du-  
centem ambulent, vigilant. Vi-  
gilat Philosophus, ut scientiâ, quæ  
sæpe numero inflat, polleat; vigi-  
lat Causidicus, ut malam defen-  
dat causam; vigilat Magistra-  
tus, ut subditos opprimat; vigi-  
lat oculis vultureis fur & prædo,  
ut aliena rapiat; vigilat avarus,  
ut divitias injustè acquirat; vigi-  
lat ebriosus, ut vino se ingurgi-  
tet; vigilat luxuriosus, ut scorto  
placeat, ac ita omnes pro rebus  
perituris non tantum, sed animæ

no-

noxiis, apertis totâ die ac nocte oculis vigilant, pro obtainenda autem justitia, humilitate, temperantia, castitate, charitate aliisque virtutibus Christianis, & pro consequenda gloria æterna nemo ferè vigilat, sed omnes stertunt: blanditur caro, dormiunt, impellit diabolus variis temptationibus, oscitant, seducit mundus scandalis & pravis exemplis, desides jacent, exclamat sacra Scriptura, in illa Prophetæ, Apostoli, & Evangelistæ, instant confessarii, concionatores & scriptores, ut mortales à peccatis desistant, seriāmque agant poenitentiam, instar glirium constertunt, monet Apostolus, nescitis Omortales an amore vel odio digni sitis, nihilominus

minus illi profundo lethargo sopiti in pulvinari satanæ quiescunt; qualis hæc est mentis cœcitas, qualis socracia, qualis animi stupor!

O Domine JESU, qui in Discipulis dormientibus carnis infirmitatem, insimul verò spiritus promptitudinem agnovisti, ego peccatorum pessimus ad sanctissimos pedes tuos provolutus, ingenuè & cum vera cordis contritione, confiteor me prò dolor & opprobrium! ex eorum numero esse, qui ut alienæ insidentur pudicitia, ut corpus escâ & potu immaniter saginent, dæmoni obtemperent, animam perdant, æternum pereant, imò ut Deum summum illud bonum ad vindictam

Etiam provocent ; totâ die & nocte laborant & vigilant. Sed pœnitet me peccasse, & divinam Majestatem tuam flagitiis meis , arenam maris in numero superantibus , toties offendisse , tempus que ad virtutum exercitium mihi clementissime concessum tantâ socordiâ neglexisse , imò detestandâ oscitantiâ consumpsisse . Pro annis igitur præteritis , quos malè vivendo perdi , quia illos ut revocem impossibile est , cor contritum & humiliatum offero , quod tu O Pater misericordiarum , & Deus totius consolationis non despicies , residuum autem annorum meorum tibi cum eorum fæcibus humillimè offero , suscipe illud , qui latronem in ultimo

timò vitæ articulo poenitentem suscepisti, eique Paradisi æternam gloriam promisisti. A discipulis tuis dormientibus, ut unâ tantùm horâ tecum vigilent efflagitasti, illud verò non obtinuisti, Enofferò tibi ( quantum caro infirma admittit) totum vitæ residuum tempus, in quo dormiendi, amplius locus non est. Constitutus sum in stadio in quo currendum, in campo in quo pugnandum, in arena in qua certandum, in procellis maris, in quibus navigandum, in solitudine, in qua ambulandum, in vinea, in qua laborandum, in agro in quo seminandum est: quoniam verò de his omnibus studiis & laboribus mihi incumbentibus ex propriis viribus

ni-

nihil præstare possum, tuum O  
Domine JESU Christe, qui deli-  
cias tuas testatus es esse cum filiis  
hominum, & imprimis peccato-  
ribus resipiscentibus, divinum  
imploro auxilium, quò illo assi-  
stante ritè currere in stadio, in  
campo fortiter pugnare, in arena  
strenuè certare, in vinea assiduè  
laborare, loco lolii triticum semi-  
nare, ac tandem ad optatum æter-  
nitatis portum sub tuo remigio  
felici successu navigare possim:  
vigilabo tecum, quantum int vi-  
ribus meis est, quoniam brevi  
veniet hora & tempus, hora tibi  
nota, tempus mihi ignotum;  
tempus illud, in quo clauduntur  
oculi corporis, in hac vita nun-  
quam amplius aperiendi veniet

C

hora

hora illa, quâ in domum æternitatis migrandum & coram tribunali divino comparendum est, ex quo Judex cœli & terræ, de quavis cogitatione, verbo & opere rigidissimam exiget rationem; vigilabo igitur & laborabo, ut superatis laboribus & finitis vigiliis in pace dormire & requiescere possim. Amen.

*Quinque Pater & Ave, & in salutatione Angelica post nomen IESU :*

*Qui mihi constantiam in bono proposito largiri velit.*



MY-

MYSTERIUM  
PASSIONIS DOMINICÆ  
QUINTUM.

Meditatio pro quinta die Mensis.

V.

*Christus Iudam proditorem  
blandis alloquitur verbis.*

Consideravimus præcedenti meditatione magnam trium Discipulorum Petri, Jacobi & Joannis somnolentiam & socordiam, quam quidem Magister in illis reprehendit, circa hoc tamen peccatum veniale, spiritus promptitudinem magis, quam carnis infirmitatem agnovit, ideo illud remisit, immo discipulorum suorum defensionem ac patrocinium in se suscepit, dicens ad prodito-

C 2

rem

rem & reliquos atrocissimi, quod  
unquam patratum est, facinoris  
socios: *Si me queritis, finite hos*  
*abire, insimul hisce vindiciis sola-*  
*tii plenis ostendere voluit, justum*  
*quidem indies ex carnis debilitate*  
*septies cadere, sed eundem resipi-*  
*scentem in apertum clementissi-*  
*mi Patris cœlestis sinum per poe-*  
*nitentiam se recipere posse. Quo-*  
*niam verò hæc Apostolorum*  
*Triga, Christo capto Magistrum*  
*deserere, & fugâ sibi consulere*  
*non erubuerunt; relinquamus eos*  
*fugæ areptæ, & in theatro Passio-*  
*nis Dominicæ aliud spectaculum*  
*funestissimum, cuius aspectus*  
*omnibus piis & justis maximam*  
*mœstitiam, impiis autem & pec-  
catoribus extremum incutere po-*  
*test*

test horrorem, ob oculos ponamus. Judas ex Apostolo, apostata, ex Christi discipulo, mancipium diaboli, ex filio Dei, hæres gehennæ, ex collegii Apostolici œconomo, trifur & proditor, ex discipulorum Collega, satanæ satelles factus, tanquam lupus sub ovina pelle, leo rugiens sub lana agnina, diabolus incarnatus sub larva discipuli ad prædium Gethsemane appropinquat, & loco tesseræ militaris, ne illi, quos sceleris adduxit comites, tanquam filii tenebrarum in tenebris noctis & pessimi facinoris circa Christi personam errorem committant, & ejus loco unum ex tribus illis Apostolis apprehendant, Magistrum venditum oscu-

latus est , dicens : *Ave Rabbi,*  
Audite cœli , & obstupefcite su-  
per hoc , adeste homines , specta-  
te Angeli , videte dæmones hoc  
spectaculum , funestum , rarum ,  
dirum , barbarum , & judicate , an  
sol hominem tam sceleratum , sa-  
cilegum unquam viderit , an ter-  
ra tale monstrum tulerit . Ecce  
Judas , quem Christus ad Aposto-  
latūs dignitatem vocavit , ante  
paucas horas in mensa convivam  
admisit , cuius pedes lavit , eique  
corpus suum in escam , & sanguin-  
em in potum dedit , totus ab illo ,  
qui olim fuit , mutatus , exutus  
omni humanitate , iñmemorq; om-  
nium , quæ à Magistro suo accepit ,  
beneficiorum , & paternæ admo-  
nitionis , accedit , ut pacis osculo  
Principē pacis prodat , & salutan-  
do

do saluti humani generis insidie-  
tur. Sed quid Christus ad hoc faci-  
nus atrocissimum & crimen ma-  
ximè detestandum? ánne forsan  
proditorem accedentem terruit,  
vultum à sclestissimo mortalium  
avertit, ab osculo arcuit, ab am-  
plexu removit, vindices arden-  
tium fulminum faces ac toni-  
trua in barbarum hoc caput evi-  
bravit, & fulminatrici lingua in  
illum debacchatus est? non, planè  
non, nihil horum, sed expansis  
brachiis, admotis labiis, benigno  
vultu in proditoris amplexus ru-  
ens hisce blandis eum alloquitur  
verbis: *AMICE ad quid veni-  
sti:* quasi voluisse dicere, O Juda!  
an non erubescis appropinquare  
ad Salvatorem tuum, ut illum

inimicorum manibus tradas? re-  
vertere mi fili, & dic ex vera con-  
tritione, *peccavi, tradens san-*  
*guinem justum, & mox audies,*  
*remittuntur tibi peccata tua.*  
Ecce expansa brachia, ut te am-  
plectantur, ecce paratas manus,  
ut te ad trahitatem viæ rectæ dedu-  
cant, ecce labia mea, ad osculum  
pacis prona, ecce linguam, ut tibi  
verba vitæ loquatur, promptam;  
ecce cor meum omnibus pecca-  
toribus poenitentibus apertum,  
ecce humeros meos, ut ove in à  
grege aberrantem excipient, pa-  
ratos. O ineffabilis amoris divi-  
vini & paternæ clementiæ pro-  
digium! Itane O mitissime Jesu!  
scelestissimum omnium morta-  
lium amici nomine ac titulo di-  
gnari,

gnari, osculo illum excipere, &  
labia tua dulcissima ori proditoris  
venenato applicare potes ? Tan-  
tus est CHRISTI erga peccatores  
amor, ut quamvis Angeli omnes  
& coelites impensissimè ament  
SS. Trinitatem, tamen Christus  
plùs amet unum peccatorem re-  
sistiscentem, quam omnes novem  
Angelorum Chori & Beatæ ani-  
mæ amant SS. Trinitatem ; & ad-  
huc post tantum Redemptoris a-  
morem, inter mortales datur qui-  
dam, qui IESUM amatorem to-  
tius generis humani non amat.  
Certe debuisset hoc æstimari ma-  
ximum, quod unquam in terris  
visum aut auditum fuislet porten-  
tum, unum in mundo reperiri ho-  
minem, qui Deum non amet, imò

buisset ad aspectum ejusmodi hominis, tanquam ad insolens & abominabile monstrum obstupescere cœlum, sol subtrahi, sidera caligine obvolvi, concuti à fundamentis terra, universum genus humanum ad videndum hoc monstrum confluere : & tamen inventus est homo, & quidem homo non unus, sed omnes ferè mortales, qui JESUM amabilem verè non amant, imò pro summa ejus dilectione, ipsum odio prosequuntur paucis momentaneæ voluptatis obulis toto eum die vendunt, ac ita Judâ longè pejores existunt, O scelus ! O opprobrium.

Fidelissime JESU Pastor bone,  
qui posuisti animam pro ovibus  
tuis,

tuis, totumque genus humanum  
tanto prosecutus es amore, ut e-  
tiam inimicos amicorum nomine  
insignire non dubitaveris, incen-  
de cor meum amore tui sanctissi-  
mo, ut pleno desiderio & perfe-  
ctâ voluntate te diligam, te quæ-  
ram, te in omnibus & super om-  
nia intendam; da mihi toto cor-  
de, pleno desiderio ac sicuti ani-  
mâ ad te aspirare, in te dulcissi-  
mè respirare, totum spiritum  
meum, & omnia interiora ad te,  
qui es vera Beatitudo anhelare,  
transforma me totum in te, &  
fac, ut clavis amoris crucifixus  
sim in te; absorbeat mentem  
meam ignita & melliflua vis  
amoris tui ut amore amoris  
tui moriar, qui amore amoris mei  
dignatus es pro memori, ut cum  
fide-

fidelis servo tuo B. Xaverio ex sincero animo dicere & suspirare possim.

**O** JEsu ego amo te ,  
 Nec amo te ut salves me,  
 Aut quia non amantes te  
 Aeterno punis igne,  
 Tu O mi JEsu totum me  
 Amplexus es in cruce,  
 Subisti mortem propter me,  
 Et pro me peccatore.  
 Cur igitur non amem te,  
 O JEsu Rex amoris,  
 O JEsu amantissime,  
 Non ut in cœlo salves me,  
 Aut ne aeternum damnes me,  
 Nec præmii ullius spe,  
 Sed sicut tu amasti me  
 Sic amo & amabo te ,

So-

Solùm quia Rex meus es,  
Et solùm quia Deus es. Amen.

Quinque Pater & Ave. Et in salutatio-  
ne Angelica post nomen IEsu :

Qui Judam discipulum & pro-  
ditorem osculo exceptit.

---

MYSTERIUM  
PASSIONIS DOMINICÆ  
SEXTUM.

Meditatio pro sexta die Mensis.

V I.

*Fuga Discipulorum.*

Postquam Salvator noster  
proditorum à prodiatore Juda  
accepisset osculum, ac Petri ze-  
lum, quem in servum Malchum  
tempore minus opportuno exer-  
cuit, paternâ admonitione corre-  
xisset, ad hostes & invasores con-  
versus,

versus, ita illos alloquitur: *Hæc est hora vestra & potestas tenebrarum*; hæc scilicet est hora in SS. Trinitatis consilio pro salute totius generis humani decreta, & tam mea, quam Patris cœlestis voluntas, ut à vobis capiar, & gentibus ad internacionem tradar, & quia ex hac voluntate, hæc est hora vestra & potestas tenebrarum, en O filii tenebrarum filii, en brachia & manus, totum corpus & omnia ejus membra, ad funes, catenas, & vincula parata, injicite funes & vincula, ducite, trahite quocunque libuerit; *Ego tanquam Agnus ad occisionem ductus, sequar.* Tunc verò auditâ hâc scilicet oratione laconicâ & tragicâ omnes discipuli, relictos

Ma-

Magistro fugerunt. Non sine  
causa & S. Spiritus afflatu, Evan-  
gelista in delineatione hujus fu-  
gæ vocula illa emphatica *Tunc*  
utitur, ut scilicet circumstantiam  
temporis, quo discipuli, Domino  
relicto, fugâ elapsi sunt, rectè ex-  
primere possit. *Tunc* discipuli fu-  
gerunt, cùm Magistro capto in-  
jecta essent vincula, *Tunc* fugâ sibi  
consuluerunt, cùm ipsos in acie  
imminente maximè oportuisset  
stare. *Tunc*, cum dux in are-  
nam descendisset, milites illum  
deseruerunt. *Tunc* fugâ elapsi  
sunt, cùm debuissent, si unquam  
ostendere suam in Magistrum re-  
verentiam, in Dominum fidelita-  
tem, in Patrem amorem. *Tunc*  
relictâ generis humani salute, sa-  
lu-

lutem in pedibus quæsierunt, cùm Christus ab omnibus derelictus , illorum consilio, auxilio, & solatio potissimum indigeret, & ita Salvatori nostro illud tritum evenit:

Donec eris felix multos numeros  
amicos,

Tempora si fuerint nubila, so-  
lus eris.

In coena illa omnium augustissima aderant non tantum Petrus, Jacobus & Joannes, sed omnes reliqui Discipuli, imò ipse perfidus Judas. Dum Christus in horo orationibus vacat, aderant tres, cum esset capiendus, solus praesens erat Joannes, ueste relicta auffugiens , tandem Christo captio nemo aderat, sed omnes Magi-

gistrum, inimicorum vinculis &  
funibus reliquerunt. Ubinam sunt  
O Petre, O Jacobe, O Joannes,  
tria illa tabernacula, quæ spectan-  
tes umbram cœlestis gloriæ,  
Christo, Moysi & Eliæ obtuli-  
stis? afferte & exstruite illa. Ita-  
ne decet Duce in ipso prælii limi-  
ne deserere, nonne menti vestræ  
occurrit monitum Magistri ve-  
stri, Luc. 14. *qui non bajulat Cru-  
cem & venit post me, non erit Di-  
scipulus meus, & vos, hoc monito  
non obstante, Magistrum vestrū  
derelinquere non dubitastis; sed  
relicto Magistro Discipuli fuge-  
runt omnes.* Hoc prò dolor! est  
proprium fragilitatis nostræ hu-  
manæ, ut in prosperis exultemus,  
in adversis verò abjectissimus ani-

D

mi:

mi: quām diu nobis omnia ex sēn-  
tentia succedunt, & Deus nostris  
obsecundat votis, *paratum est*  
*cor nostrum*, exclamamus cum  
Discipulis, *faciamus hic tria ta-*  
*bernacula*, & cum mellifluo Ber-  
nardo:

JEsu dulcis memoria,  
Dans vera cordis gaudia,  
Sed super mel & omnia,  
Ejus dulcis præsentia.

Simul ac autem Christus nobis  
Crucem, vel è longinquo osten-  
dit, & calicem amarum porrigit,  
fugimus omnes, cùm tamen crux  
essentiale vitæ Christianæ requisi-  
tum sit, quod enim anima corpo-  
ri, idem Crux est Christiano, ani-  
ma corpori, Crux Christiano vi-  
tam dat: in Cruce omnis honor,

in

in Cruce omnis gloria, in Cruce  
unica salus, quia Christus tanquā  
unica salus in Cruce præsens ei-  
que affixus est. Nunquam verus  
Christianus plures potest de cœlo  
& in terra habere spectatores,  
quād dum Crucem à paternis  
manibus ipsi impositam, patien-  
ter & lubenter bajulat, Chri-  
stumque præeuntem cum Cruce  
sequitur: spectat Deus & gaudet,  
quia bajulans Christo crucifixus  
est; spectant Angeli, & applau-  
dunt, quia una Christianæ gloriæ  
materia esse debet, gloriari in  
Christo: spectat Mater Dei, &  
congratulatur, quia bajulans,  
ejus filio conformis est: spectant  
Martyres, & conatum laudant,  
spectant homines, & attoniti stu-  
pent, spectant pii, & ad imitatio-

nem invitantur, spectant dæmones, & præ iracundia freudent. Nolitibi, O Christiane applaudere, quando ex voto omnia eveniunt, ac fortuna blanditur, cave potius & time, quia in via lata ad interitum ducente ambulas, cum nihil in hoc mundo infelicius sit felicitate peccatorum, & ejusmodi indulgentia Dei magnæ ejus iracundiæ nota esse solet; longè aliam tibi JESUS Matth. 16. ad vitam æternam monstravit viam, docens: *qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem.* Cum igitur hæc vera & unica ad cœlum & gaudia Beatorum sit via, malè sibi suæque animæ consulit Christianus, vel potius Cosmophilus, quando cru-

cem

cem sibi cœlitus immissam & di-  
vinitùs impositam refractario co-  
natū excutere laborat, potiùs il-  
lam à manibus Patris coelestis ve-  
nientem hilari fronte excipere, &  
humeros suos ad bajulandum pa-  
ratos offerre debet, odium enim  
Crucis, crux diaboli est, è con-  
trario tota Christiani veri vita, si  
ducitur ad normam Evangelii,  
nihil aliud est, quàm Crux Chri-  
sti.

Ecce curvatus sum, O aman-  
tissime & patientissime JESU! us-  
que ad terram ut suscipiam Cru-  
cem mihi destinatam, ecce ex-  
tensas manus, ut eam à manibus  
paternis excipiam, ecce parata  
labia, ut illam exosculer, ecce  
expansa brachia ut amplectar,

D 3

ecce

ecce inclinatos humeros, ut Crucem portem. Tu, qui omnium optimè scis, quid valeant humeri nostri, quid ferre recusent, me modulo meo metiri, & constanter eum in finem patientiam mihi concedere velis. Tuâ ope fatus, pro virili Crucem impositam usque ad finem vitæ portabo, qui enim sicut tu, O JEsu, in Cruce usque ad finem perseveraverit, salvus erit. Vivam ferens Crucem, moriens amplectar Crucem, nec priùs illam dimittam, quam in manus tuas emittam spiritum meum. Amen.

*Quinque Pater & Ave. Et in salutatione Angelica post nomen JEsu:*

*Qui in Cruce patientiam, nobis largiri velit.*

MY-

---

MYSTERIUM  
PASSIONIS DOMINICÆ  
SEPTIMUM.

Meditatio pro septima die Mensis  
VII.

*Christus coram Anna alapâ per-  
cutitur.*

Dato à perfido Juda loco signi  
militaris osculo , discipulis  
que in horto præsentibus fugâ e-  
lapsis , milites à proditore addu-  
cti , eum , quem nec cœlum , nec  
terra capere potest , capiunt ,  
eumque in finem cohors scelera-  
torum violentas manus in Re-  
demptorem injiciunt , applaudunt  
de capta prædatam diu exoptata ,  
eumque tanquam hominem sce-  
leratissimum , manibus brachiis-

que post terga per funes & cates.  
nas revinctis , medio noctis con-  
cubio per plateas urbis horribili  
catenarum stridore , armorum  
crepitu,armatorum strepitu,satel-  
litum clamore, canum latratu ra-  
ptant , & in tam incondito tumultu,  
ad quem omnes civitatis inco-  
læ, tam cives, quam peregrini ,  
propter instans Pascha in magna  
frequentia præsentes è stratis, ad  
fenestras,& spectaculum provo-  
cati sunt, Annæ socero Caiphæ  
summi tum temporis sacerdotis  
sistitur, ac ita Deum incarnatum  
ad diabolum incarnatum, Agnum  
ad leonem , Ovem ad lupum ,  
summum sacerdotem,ad sacerdo-  
tem sacrilegum , Judicem ventu-  
rum judicare vivos & mortuos,

ad

ad reum pluribus sceleribus no-  
xiū ducunt: In domo hujus sa-  
cerdotis, tanquam officinā sum-  
mæ in justitiæ & nequitia, Phari-  
sæi, scribæ, seniores, & reliqua  
Synagogæ membra impia, ut  
Christum circumvenirent, con-  
venerunt, adeoque adventum  
eius, quem à Juda triginta argen-  
teis ad interencionem emerant,  
maximo cum desiderio exspe-  
ctant: vix limina hujus scelestissi-  
mæ domus attigerat Redemptor,  
cùm variæ ipsi quæstiones ab An-  
na, scribis & reliquis legis peritis,  
aliisque nebulonibus, magna cum  
solertia excogitatæ & elaboratæ  
ad responcionem proponuntur,  
quarum tenor primariò, tum di-  
scipulos illius, tum doctrinam E-

vangelii concernebat. O im-  
pium judicium! in quo tyro Ma-  
gistrum, subditus Regem, servus  
Dominum, reus Judicem, homo  
Deum, ignorantia scientiam, stul-  
titia sapientiam, nequitia Di-  
vinam Majestatem examinare non  
erubuit. Christus de discipulis  
interrogatur, cùm ad eorum lau-  
dem & apologiam nihil boni al-  
legare neque famam defendere  
posset, ad eorum autem contu-  
meliam nihil mali proponere vel-  
let, hanc causam silentio invol-  
vit, Doctrinam verò Evangelii,  
quam publicè docuit, plurimis-  
que confirmavit miraculis, co-  
ram hoc supremo summi Ponti-  
ficiis tribunali & præsente Syna-  
goga maximâ cum authoritate  
de-

defendit, Annæ respondens: *Ego  
palam locutus sum in mundo, ego  
semper docui in Synagoga & in  
templo, quò omnes Judæi conve-  
niunt, & in occulto locutus sum  
nihil. Quid me interrogas, interro-  
ga eos, qui audierunt, quod locu-  
tus sum ipsis, ecce hi sciunt, quid  
dixerim ipsis ego. Quot verba  
tot pondera! non possum in pro-  
pria testis esse causa, nec allego  
testimonium Matris meæ vobis  
intuitu materni amoris suspectæ,  
non produco discipulos me dese-  
rentes, non provoco ad amicos  
& consanguineos, non ad lepro-  
bos, cæcos, mutos, surdos, mor-  
tuos, pristinæ sanitati & vitæ per  
me restitutos & eo nomine mihi  
obligatos, sed infensissimos meos*  
ini-

inimicos, doctrinæ meæ testes esse  
volo: interroga Judam, & statim  
confitebitur se malè fecisse, san-  
guinem justum vendendo, ex-  
amina Sacerdotes & Phariseos,  
qui me triginta argenteis eme-  
runt, audi satellites eorum, qui me  
captivum huc adduxerunt. Dum  
hac ratione causam Evangelii, E-  
vangelistarum Doctor, coram  
impiò hoc conciliabulo tam stren-  
uè defendit: unus ex numero a-  
stantium Ministrorum illum li-  
berius putans esse locutum, quam  
reum coram summo Pontifice  
deceat, furioso cum impetu ad  
Iesum advolat eique alapam  
dat, dicens: *Sic respondes Ponti-  
fici;* & hac percussio meta ho-  
diernæ meditationis erit. Atroci-  
tas

tas hujus abominandifacinaris ex circumstantiis ritè examinatis, clariùs apparere poterit: quis enim illam alapam exceptit? JESUS mitissimus, Rex Regum & Dominus Dominantium, à quónam illam accepit? ab infimo ex fæce plebis satellite, & homine vel potius mancipio abjectissimo; in quânam corporis parte hanc extremam perpessus est injuriam? in facie, quam aspicere & adorare summum Angelorum est gaudium; ubi percussus est? coram tribunali, loco contra omnes injurias, tam verbales, quam reales immuni, ubi nefas est ante sententiam condemnatoriam & executionem decretam, reo vel minimam inferre violentiam, insuper

per in præsentia summi Pontifi-  
cis & coronæ nobilissimæ Viro-  
rum, doctrinâ & authoritate illu-  
strium. Quibus instrumentis :  
manu ferreâ , chirotecâ armatâ ,  
cum tanto impetu & furore , ut  
scelestus satelles faciem Christi  
ad Judicem conversam in alteram  
inflexerit partem ; eumque in ter-  
ram prostraverit . Cur ? propter  
doctrinam Evangelii , quam Chri-  
stus coram hoc tribunali defendit.  
Quomodo ? cum maxima repre-  
hensione , dum satelles Christum  
interrogat , *Sic respondes Pontifici ?*  
Tunc O homuncio & vilissimus  
terræ vermiculus Pontifici no-  
stro , capiti Synagogæ Judaicæ  
Reverendissimo respondere au-  
des ? O indignum facinus ! de quo

me-

meritò Divus Augustinus suam sententiam ita explicat: Si cogitemus, quis acceperit alapam, nōn ne vellemus eum, qui percussit, aut cœlesti igne consumi, aut terrâ dehidente sorberi, aut correptum dæmonio volutari, aut aliâ hujusmodi, quâlibet pœnâ vel etiam graviore puniri.

Sed nōlì ita in hunc flagitiosum satellitem excandesere, & justitiam Divinam ad vindictam provocare, hæc dies, in qua JESUS tanquam gloriosus Victor victam voluit ducere captivitatem, aliam vitam, alios mores postulavit, non dies iræ, sed elementiæ, non vindictæ, sed patientiæ fuit: Ergo

Praestat peccatot, motos componere fluctus, & veram extremæ hujus

hujus, quam Christus perpessus  
est, contumeliæ causam penitus  
examinare. Testatur Pater ira-  
tus per vatem suum I<sup>s</sup>aiam cap. 33.  
*Propter scelus populi mei percussi  
eum.* Scias igitur O mortalis,  
qui satelliti percutienti Christi fa-  
ciem ex indignatione quævis  
dira precaris, JESUM mitissi-  
mum hanc alapam, non tantum  
propter te, sed etiam per te, acce-  
pisse, quia peccator quoties pec-  
catum committit mortale, toties  
Christo non tantum novam infli-  
git alapam, sed & illum à sua Dei-  
tate (secundum Cajetanum apud  
Lessium Lit. 6.) Si possibile esset,  
dejicere, eiq<sup>ue</sup> bellum indicere co-  
natur. O magnum infortunium,  
quod tibi O infelix peccator fla-  
gi-

gitiis tuis sine numero perpetratis conciliasti! sed noli desperare de salute tua, ille enim, qui perte, & à te in faciem suam percussus est, non venit, ut animas perdat, sed ut eas salvet Luc. 9. Teste S. Leone serm. 2. de Ephiph. *Dum in hoc corpore vivitur, nullius desperanda est reparatio, sed omnium optanda correctio.* Percussisti hactenus faciem Redemptoris tui tot innumeris flagitiis in illum commissis, percute imposterum millies & millies pectus tuum propter scelera à te perpetrata; percute illud in cubiculo & oratorio tuo; percute illud in sacrificio Missæ, non ex mera consuetudine, sed ex vera contritione; percute illud coram Confes-

sario tuo: Moyses petram percutiendo aquam ex illa produxit, percutere pectus tuum saxeum, & elice ex illo fontem lachrymarum, qui teste Crysoth. Hom. I. in Luc. 10. *Etiam ipsum gehenna incendium extinguere norunt.*

Exclamo ad te, O mittissime Jesu cum Proph. Ezechiele cap. II. *Aufer O Domine cor lapideum de carne mea, et da mihi cor carneum;* En pectus meum, & in illo cor lapideum, fontem & originem omnium pravarum cogitationum & impiorum sceleorum: hoc ego, quanto possum, maximo dolore percutio, & de omnibus peccatis meis doleo, ut possim aliquando mereri cum Discipulo tuo laterali, post saepius per-

percussum pectus, recuibere super pectus tuum : hoc pectus multis flagitiis contaminatum cum Publicano Luc.15 in Angulo templi stante verâ cordis contritione & humilitate percutio, quo justificatus in domum æternæ felicitatis ascendere possim.

Tu O Domine pectus hoc percussum, & in illo latens cor contritum non despicies. Amen.

Quinque Pater & Ave, & in salutatione Angelica post nomen IESU :

Qui pro nobis in faciem percussus est.



# MYSTERIUM PASSIONIS DOMINICÆ OCTAVUM.

Meditatio pro octava die Mensis.

## VIII.

*Christi coram Caipha ad falsa  
testimonia silentium.*

**F**inito rigoroso illo, quod Annas sacrilegus Sacerdos in præsentia reliquorum Pharisaorum, Sacerdotum ac Scribarum, cum Redemptore nostro instituerat, examine, satellites eum ad ædes Caiphæ, summi tunc temporis Pontificis, non tam ducunt, quam potius catenis & funibus vinclatum, per plateas urbis inhumano more & magno cum clamore jubiloque tanquam reum flagi-

gitiosissimum captivum rapiunt,  
quod ferale spectaculum Matth.  
26. & Marc. 14. hisce describunt  
verbis: *Iunc tenentes J̄esum du-  
xerunt eum ad Caipham Princi-  
pem Sacerdotum, ubi Scriba,  
Sacerdotes & Pharisei conve-  
runt.* Instinctu Sathanæ Prin-  
cipis tenebrarum in tenebris no-  
cturnis coegerat, hic summus  
Sacerdotum Princeps, & impiæ  
Synagogæ Mystagogus in ædi-  
bus suis tanquam officina diabo-  
li & seminario injustitiae concilium,  
vel potius conciliabulum,  
Phariseos, Scribas, Sacerdotes &  
reliquos seniores populi Judaici;  
quot capita, tot genimina vipers-  
rum, quot scribas, tot falsarios,  
quot Sacerdotes tot lupos rapa-  
ces,

ces, quot seniores tot nebulones,  
quot Patres conscriptos, tot fi-  
lios diaboli, qui Christum addu-  
ctum contemptivè excipiunt,  
trucibùsque oculis, ac elatis su-  
perciliis, ut homuncionem abje-  
ctissimum aspiciunt, imò tan-  
quam cadaver putridum aspectu  
vix dignantur. In hac congrega-  
tione omnium, quas sol vidit un-  
quam, scelestissimâ & abomina-  
bili, conclusum ante Christi com-  
paritionem erat, authorem vitæ  
ad ignominiosissimam condem-  
nare mortem, ut igitur ipsum de  
variis convincant criminibus,  
perversi illi Judices de testium  
productione admodùm sunt soli-  
citi, eūmque in finem plures con-  
vocant; sed quales quæsto? forte-

co-

cœcos, mutos , surdos, leprosos,  
quibus lumen, auditum, sermo-  
nem , sanitatem restituit? non ;  
fortè Lazarum à mortuis paucos  
ante dies à Salvatore resuscita-  
tum? non; fortè auditores Evan-  
gelii sui, ad quorum testimonium  
paulò ante in ædibus impii An-  
næ provocavit? non ; sed elege-  
runt aliquot Nebulones ejusdem  
cum pessimis judicibus farinæ ,  
mendaces scilicet falsarios, male-  
dicos, muneribus ad falsa testi-  
monia dicenda corruptos, qui  
etiam ad <sup>rasum</sup> rasim usque contra JE-  
sum vociferantur , in eumque  
plaustra quasi convitiorum per-  
frictis frontibus exonerant, varia-  
qué accumulant testimonia, quo-  
rum tamen falsitas ex depositio-

num contrarietate tam evidens  
fuit, ut improbi Judices ad illa e-  
rubuerint. Sed quid Salvator no-  
ster ad hæc concilia, accusations,  
& falsa testimonia ? teste Matth.  
cap. 16. *Iesus tacebat, & nihil  
respondit.* Quid : O JESU ! túne ad  
falsissimá testimonia in publico  
concilio & corona præstantissi-  
morum in tota Judæa virorum  
contra innocentissimam tuam  
personam , sanctissimumque of-  
ficium prolata tacere, eaque si-  
lentio involvere potes ? cum ta-  
men in ejusmodi aëtibus publicis  
& judicialibus, & in primis in cau-  
sis criminalibus ejusmodi tacitur-  
nitas maximi sit præjudicii, & ex  
illâ tacita colligatur confessio.  
*Sed tacebat Iesus, & nihil re-*  
*spon-*

spondit. O dignum omnium mortalium ore deprædicandum silentium, quia nunquam Tullius è rostris tanto vel auditorum suorum applausu, vel illorum, quorum defensionem in se suscepit, fructu differuit, quanto Christus in hoc impiorum concilio siluit, hoc exemplo omnes Christianos docens, quod testimonium conscientiæ rectæ, maxima illorum gloria esse, ideoque calumnias falso objectas cum patientia audire, & cum constantia sustinere debeant, quoniam secundùm tritum illud:

Hic murus aheneus est,  
Nil conscire sibi, nullâ pallescere  
culpâ.

Nam

Conscia mens recti famæ mendacia ridet.

*siluit* Scilicet Jesus , nec tanquam Agnus innocens ad occisionem ductus, os suum aperire voluit. Sed quid mihi miserrimo peccatori eveniet, quandò Judex vivorum & mortuorum me ad tribunal suum, rigidissimam rationem de quavis cogitatione verbo & opere exacturus , vocabit, ubi unum pro mille respondere non potero, quoniam cælum, terra, Angeli, homines, dæmones, locus, tempus, occasio , imò omnia corporis mei membra, me de pessimis criminibus accusabunt.

O me miserum ! quo fugiam, quem mihi adsciscam , qui pro me &

& causa mea deperdita loquatur,  
Patronum, quem mihi adoptabo,  
qui me defendat , Advocatum.  
Audio vocem solatii plenam i.

Joann. 2. *Advocatum habemus  
apud Patrem fEsum Christum  
Justum.* Hac igitur voce & hoc  
maximo patrocinio fretus, ego  
tot peccatorum reus, iræ filius,  
gehennæ hæres, exul coeli, ab  
omnibus creaturis accusatus, à  
Patre cœlesti propter crimina  
commissa condemnatus, ab om-  
nibus desertus, ad te O JESU , om-  
nium reorum resipiscentium Ad-  
vocatū cum magna spe & fiducia  
confugio, ut patrocinium tuum,  
quia unus mediator Dei & ho-  
minum es i. Timoth. 2. impetra-  
& irati Patris vindictam decli-  
nare


nare possim. Non pudet coram te & sacerdote tuo confiteri, quod non puduit contra te committere, tu quidem O JESU ad falsa Judæorum testimonia tacuisti, nihilque respondisti, sed ego ad vera conscientiæ meæ maculatæ testimonia non fileo, sed eloquor & exclamo: peccavi in cœlum & coram te, imò in te. Desperarem, si alium pro me præter te haberem apud Patrem Advocatum. Accedo igitur ad te cum fiducia, superbus ad humilem, iracundus ad mitem, impurus ad castum, crudelis ad clementem, cæcus ad lucem, sitiens ad fontem, esuriens ad panem, infirmus ad medicum, impius ad pietatem, reus ad Advocatum,  
mi-

miser ad misericordiam , egenus  
ad divitem , mortuus ad vitam.

Vide fidelissime Advocate, an  
causam meam peccatis infinitis  
perditam sic possis agere, ut non  
peream. Scio, salvare potes, quia  
Deus es, salvare debes, quia JESUS  
es, omnium reorum Advocatus.  
Responde pro me, qui unum pro  
mille respondere non possum ,  
quia justitia mea es. Statue me à  
dextris inter oves tuas, *& ab au-*  
*ditione mala non timebo. Amen.*

*Quinque Pater & Ave. Et in salutatio-*  
*ne Angelica post nomen JESU :*

*Qui pro nobis falso accusatus*  
*es.*



MY.

---

# MYSTERIUM PASSIONIS DOMINICÆ NONUM.

Meditatio pro nona die Mensis.

I X.

*Christus à Synagoga mortis reus  
judicatur.*

S Ummus ille Pontifex Caiphas omnium scelerum Architectus, pro ea, quâ pollebat, versutia, sagacitate & experientia ex falsorum testium depositione facile colligere potuit negotio, ejusmodi testimonia sibi invicem in omnibus circumstantiis contraria, nec ad probationem scelerum imputatorum quidquam facientia ad convincendum JESUM, plenè non sufficere, nec ex illis reum

ad

ad mortem condemnari posse;  
deficientibus igitur testibus idoneis omnique exceptione majoribus, perversus Caiphas pertinacis silentii impatiens, aliud probandi excogitavit medium & decrevit, illum ex propria confessione convincere, eumque in finem, Christo, omissis ulterioribus verborum ambagibus, quæstionem Cardinalem proponit, & ut ad eam brevibus respondeat, mediante nominis Divini invocatione efflagitat, dicens: *adjuro te per Deum vivum, ut dicas nobis, si tu es Christus filius DEI benedicti:* Maximi certè momenti summi-que ponderis hæc fuit quæstio, ad cuius respcionem omnes erant suspensi, in cælo Pater æternus

cum

cum Angelis, in orco Lucifer cum omnibus dæmonibus, in terra Synagoga tota, omnésque mortales; filuit hucusque Jesus ad falsa testimonia, tanquam in propria causa prolatā, *tempus enim fuit non loquendi sed tacendi.* Simul ac autem de causa Patris, & de salute totius generis humani quæstio movebatur, silentium Redemptor interrumpit, *confessus est, Et non negavit,* confessus est coram toto Sacerdotum confessu, se esse filium Dei, summo Pontifici laconicâ brevitate respondens: *Tu dixisti. Tu O Caipha dixisti,* quod Prophetæ mei de persona, officio, & adventu Messiae in sacro Codice prædixerunt, & te tanquam Principem Sacerdotum & caput Sy-

Synagogæ laterē nec possunt nec debent. Brevis & succinta quidem fuit hæc responsio, duabus tantum constans vocalis, quæ tamen ejusmodi fuit efficaciæ, ut illâ JESUS totum exhilararet cœlum, animaret mundum, terret orcum. Sed quid ad hanc responsionem Caiphas, quid universa Synagoga? obstupescite cœli, Tunc, cùm scilicet JESUS hoc respondisset, Princeps Sacerdotum scidit vestimenta sua, dicens: blasphemavit. Tunc, cùm Christus dixisset, se esse Filium Dei, Caiphas illius efflati Majestate perstrictus, & attonitus furioso similis, scidit vestimenta sua; Tunc cùm omnia Synagogæ membra debuissent auditâ Christi confes-

sione in genua procumbere, eumque tanquam verum Messiam & unicum Dei Filium cultu latriæ adorare, *Tunc*, Caiphas ex indignatione scidit vestimenta sua, cùm scindere debuisset funes, quibus Redemptor erat vincitus. *Tunc*, cùm officio suo magis conveniens fuisset, per totam Judæam præcones mittere, & per illos nunciare, Messiam in Sacrificiis præsignatum, à Prophetis prænunciatum, à toto mundo per tot sæcula maximo cum desiderio exspectatum advenisse, & in concilio stare præsentem. *Tunc*, scidit vestimenta sua sacerdotalia, & eo ipso ostendit actum esse de Sacerdotio Judaico.

Non contentus autem fuit hâc

ve-

vestium scissione furibundus Pontifex, sed IEsum blasphemum esse judicavit, dicens : *blasphemavit*, quid adhuc egemus testibus, eo ipso enim dum sic vilissimus homuncio, & abjectissimus terræ vermiculus se Filium Dei prædicare non erubuit, impiis & blasphemis his verbis Majestatem Divinam immediatè offendit, & propriâ suâ confessione tanquam probatione omnium probatissima & perfectissima coram inclito hoc confessu & tota Synagoga publicè convictus est, quid igitur aliis egemus testibus contra illum, quem propria condemnavit lingua. *Quid jam vobis videtur*, O Sacerdotes & Patres conscripti de hoc homine blas-

phemo? Qualis Rex, talis Grex,  
blasphema interrogatio, blasphem-  
ma responsio, & sententia, *Reus  
mortis est*, uno ore clamant om-  
nes nullo excepto.

O impia Synagoga! & conci-  
liabulum ab ipso Sathanam concre-  
tum! tunc illum, qui instaurator  
vitæ, immo ipsa vita est, blasphem-  
um mortisque reum declarare  
non erubuisti.

Sed recte judicavit Synagoga,  
Redemptorem nostrum mortis  
reum declarando, tametsi verum  
sub hac sententia latens mysterium  
ignoraverit. Eo ipso enim, quo  
æternus Dei Filius vadimonium  
pro totius generis humani pec-  
catis ad placandam Patris cœle-  
stis iram eum in finem in se susce-  
pit,

pit, ut mortales ab æterna morte liberâret, ipse reus mortis factus est, ac ita necessitas efflagitavit, ut *unus homo pro populo moriatur, ne tota gens pereat.* Reus igitur mortis esse voluit, ut mortis æternæ reos ab interitu & sententia mortis vindicaret.

O immensum charitatis divinæ Mysterium, quis te rectè comprehendere, & dignè deprædicare potest? me O JESU! mortis reum fecerunt infinita mea scelerata & peccata in te commissa, te reum mortis fecit infinitus tuus, quo totum genus humanum complexus es, amor. Omnia corporis mei membra, si in tot transmutari possint linguas, & humana resonare voce, me mortis

æternæ reum esse judicarent; sol,  
qui me illuminat, terra, quæ me  
sustinet, aér, qui me refrigerat,  
ignis, qui me calefacit, aqua, quæ  
me abluit, singula Elementa &  
omnia creata, quibus ad peccata  
comissa abursus sum, si loquen-  
di facultas illis concederetur, uno  
ore exclamarent, hic abominan-  
dus peccator mortis æternæ reus  
est.

Dum igitur, O amantissime  
JEsu, me ab hac morte, & qui-  
dem æterna liberare, vitáque per  
mortem tuam ignominiosam re-  
stituere voluisti, quid tibi pro im-  
menso illo amore rependam?  
quales referam gratias? per Va-  
tem tuum requiris ab omnibus  
resipiscentibus, ut non vestimen-  
ta,

ta, sed corda sua scindant, quia  
non illa, sed hæc peccatis obno-  
xia sunt. Scidit Caiphas vesti-  
menta sua ex indignatione furo-  
ri non absimili, & quidem sine  
fructu; scindam ego maculatum  
cor meum verâ contritione cum  
fructu, scindam illud, & cicatri-  
ces animæ meæ tibi ac sacerdoti  
tuo exponam. Confessus es in  
impio conciliabulo, & non  
negâsti te esse Filium Dei, confite-  
bor ego Sacerdoti, & non ne-  
gabo me esse filium prodigum,  
confitebor me esse reum mortis,  
quia peccatorum infimus sum,  
& scio, te esse reum mortis, quia  
peccatorum Salvator es. Tu ve-  
rus es Samaritanus, infunde igi-  
tur vinum & oleum in vulnera

mea tibi nota, & Sacerdoti tuo  
ostenfa, sana animam meam quia  
tibi soli peccavi, Amen.

*Quinque Pater & Ave. Et in salutatio-  
ne Angelica post nomen IESU:*

Qui à Synagoga mortis reus  
judicatus es.

## MYSTERIUM PASSIONIS DOMINICÆ DECIMUM.

Meditatio pro decima die Menfis  
**X.**

*Petrus abnegans.*

**I**N meditationibus proximè  
præcedentibus varias illas con-  
tumelias, quas mitissimus Salva-  
tor noster, in impiis Annæ &  
Caiphæ ædibus tanquam offici-  
nis

nis diabolicis , tum ab ipsis Pontificibus sacrilegis , tum à Sacerdotibus & senioribus , tum ab eorum famulis perpessus est, pro instituti ratione exposuimus , quibus ea addi possunt , quæ Christo in Caiphæ ædibus, post factam mortis declarationem evenisse, & à collectis scurris, impurissimisque nebulonibus ipsi in Angulo domus abjectissimo illata esse ; Matth. cap. 26. testatur dicens : *Tunc expuerunt in faciem Christi, & colaphis eum ceciderunt, dicentes: prophetizas nobis Christe, quis te percussit?* Ordo passionis Dominicæ nos è malignis hisce ædibus avocat, ut in Apostolorum Principe Petro, luctuosissimum illum, dum Chri-

stum abnegavit, casum, nobis ob  
oculos ponamus, & quænam ex  
tragico illo exemplo in nos re-  
dundare possit utilitas, perpenda-  
mus. Omnes Discipuli Magi-  
strum suum post capturam dese-  
ruerant, solus erat Petrus, qui  
vel pro Christo audacior, vel cum  
illo præfidentior, eo induci non  
potuit, ut à Domino suo separare-  
tur, sed piaculum duxit, ab illo,  
qui omnium peccatorum est re-  
fugium, affugere. Sequitur igitur  
Christum, sed quomodo hoc fa-  
ctum sit, Matth. cap. dicto nos  
docet: *Petrus sequebatur eum*  
à LONGE. Maxima in animo  
hujus Apostoli exorta erat inter  
amorem & timorem lucta, in qua  
tamen timor amori palmam præ-  
ripuit,

ripuit, dum quidem Petrus Christum ex amore in plateis sequitur, immo periculosa Caiphæ domum, præente Magistro ingreditur, sed tamen ex timore humanoque respectu *longè*: hoc consilio, ut ingravescente circa Dominum suum mortis periculo, fugâ sibi consulere possit, quod propositum deinde funesto illi casui, in quem timidus Apostolus prolapsus est, ansam dedit, quem Matth. cap. 26. & Marc. 14. hisce nobis depingunt coloribus. Petrus vero sedebat in atrio deorsum, & accessit ad illum una ancilla ostiaria summi Sacerdotis, & cum vidiisset Petrum sedentem ad lumen & calefacientem se, dixit: & hic cum illo erat, & a-  
spiciens

spiciens illum ait: *Ego tu cum Iesu Nazareno eras.* Nunquid *Ego tu ex discipulis es hominis istius?* at ille negavit, coram omnibus dicens: *non sum mulier, non novi illum, neque scio, neque novi quid dicas.*

Prô! quam tragicus hic est primi ex Apostolis casus, quem nec ipse Petrus lachrymis suis satîs deplorare potuit. Joab pectus Absolonis ex arbore pendens, tribus transfodit lanceis, & hic Apostoli pectus tribus transfosum est lanceis, carne, mundo, dæmone, quorum inimicorum alter ipsum ad negandum, alter ad jurandum, postremus ad pejurandum induxerunt. Alloquitur illum ancilla, & negat, urgent satelli-

tellites, & jurat, minantur milites,  
& planè perjurii reus fit. Insignem  
quidem magna illa heroina Ju-  
dith conatu Amazonico in domo  
Holofernis edidit stragem, ejus  
caput à corpore acinace separan-  
do, sed majorem hæc abjectissi-  
ma muliercula & ancilla ostiaria  
in domo Christi edidit stragem,  
primarium Apostolorum & futu-  
rum Ecclesiæ caput visibile à Do-  
mino suo neque acinace, neque  
gladio, sed minaci tantùm linguâ  
separando, januámque juramento  
& perjurio aperiendo. Tanti re-  
fert esse vel cum Christo, vel ab  
illo stare remotum. In horto fri-  
gido cor Petri, Christi amore fla-  
grans paratum erat cum Magi-  
stro suo mortis se periculo expo-  
nere

nere machæram fulmineā contra  
milites armatos per aërem totis  
lacertis vibrando; & idem Petrus  
in ædibus Caiphæ ad focum, Do-  
minum & Magistrum suum, ter  
& mediante periurio abnegare  
non dubitavit; in horto Petrus  
tanquam fortissimus heros gladi-  
um pro defensione Magistri sui  
contra facinorosos illos nebulones  
evaginavit, ex illis Malchi dexte-  
ram auriculam præcidit; ex quo-  
rum tamen numero postea in  
domo Caiphæ camini elegit so-  
cios, quorum minis utramque  
auriculam exhibuit patulam, eo-  
rūmque linguas plūs, quàm antea  
in horto Gethsemane strictos for-  
midabat gladios, quique contra  
militum armatorum cohortes  
mas-

masculo sanguine in venis saliente  
insurrexit, omnes uno iectu pro-  
fligaturus, ad inermis muliercu-  
læ pedes jacet prostratus. Quæ-  
nam, quæso, vera & genuina ho-  
rum duorum extremorum, imò  
planè contrariorum fuit causa, &  
quì fieri potuit, ut ejusmodi mu-  
liercula strenuum Christi defen-  
sorem quasi pedibus conculca-  
verit. In horto Christus, *qui in*  
*deliciis habet, esse cum filiis homi-*  
*nūm,* erat præsens, ejusque latus  
Petrus tanquam fidelis Apostolus  
stipabat, paratus vel pro Christo  
vincere, vel pro isto occumbere,  
in Caiphæ atrio autem idem Pe-  
trus relicto ex mero timore Chri-  
sti latere, nebulonibus & scurris  
impiis appropinquabat, & ita de-  
fer-

sertis virtutibus ad vitia & prava  
confortia, quæ optimos etiam  
mores facili negotio corrumpere  
possunt, declinabat : Tanta in  
Christi præsentia latet virtus, in  
ejusque absentia calamitas &  
confusio.

Tu igitur O Christiane, qui ex  
inepta arrogantia propriis tuis vi-  
ribus nimium confidis, iisque  
gloriaris, ingredere domum Cai-  
phæ, aspice ibi Petrum futurum  
cœli ostiarium ab ostiaria ancilla  
& debili muliercula non armis,  
sed paucis voculis ad terram pro-  
stratum, & judica ex hoc tragico  
casu, etiam levissimo flatu, fir-  
missimas & solidissimas petras  
non tantum, ut moveantur, con-  
cuti, sed, ut planè labantur, pro-  
sterni

sterni posse, quò secundùm monitum Divi Ambrosii, *Petri titubatio, tua possit esse firmitudo.* Petrus Christum non dereliquit, multò minùs sémet à Christo planè separare, unquam in animo habuit, sed illum à longè per plateas urbis in domum Caiphæ infensis simis Christi hostibus refertam fecutus est, & hoc pacto ostendit amorem erga Redemptorem suum in corde penitus non defecisse, nihilominus Christo ad paucos passus remoto in tantam incidit calamitatem: quid igitur de te, O pertinax peccator fiet, qui non modò in peccatis venialibus Christum à longè sequeris, sed mortalibus noxiis temet quotidie ferè à Deo tuo præmeditato

consilio separas , tēque divinæ  
Majestatis hostem esse ostendis.  
Ah Petri titubatio, sit tua firmi-  
tudo & conversio. Sed loquere  
O Princeps Apostolorum, qui-  
nam est, qui, ut Magistrum tuum  
juratō abnegares , te coēgit ? &  
quænam adhibuit media, ut te  
ad hoc indignum facinus com-  
mittendum compulerit ? fortè  
armatus militum globus te obtor-  
to collo ad Synagogam Judaicam,  
confessum seniorū , prætorium  
Pilati , aulam Herodis deduxit ?  
non. Fortè Pilatus mortem tibi  
intentavit : non. Fortè iniquus  
& crudelis Judex te in equuleo  
extensem examinavit ? non. For-  
tè carnifex vincula, flagella, scor-  
piones & alia torturæ instru-  
men-

menta oculis tuis exposuit? non,  
sed sola ancilla nullis neque ar-  
mis, neque torturæ instrumen-  
tis instructa hâc quæstione, nun-  
quid *& tu ex discipulis es hominis*  
*isti*, in tantam me detrusit cala-  
mitatem, & eò adegit, ut impia  
hâc responsio ne, *Non sum*, non  
*novi illum*, neqz scio, neqz novi,  
*quid dicas*, Magistrum, Redem-  
ptorem, ac Deum meum tribus  
vicibus cum perjurio abnegave-  
rim. Quomodò O Petre, per-  
frictâ fronte dicere potuisti, non  
novi hunc hominem, de quo an-  
tea professus es, *In es filius Dei*  
*vivi?* Tu illum non nôsti, pro quo,  
& cum quo ipsam mortem subi-  
re paratus fuisti, illum quem pau-  
lò antè in horto Getsemâne e-

vaginato ense contra impios invasores defendere non dubitasti? illum dico, qui te præsente & spe-  
ctante, manibus suis taumaturgis lumen cœcis, auditum surdis,  
linguæ usum mutis, leprosis corporis munditiem, ægrotis sanitatem, obsessis libertatem à vinculis dæmonum, imò mortuis vitam restituit, & hunc tu O Petre jam planè non nōsti? O peccator, hæc Apostoli primarii titubatio, sit tua firmitudo, hic casus, tuus ad resurgendum baculus: *Si hoc factum est in viridi, quid fiet in arido?* qui stat, caveat, ne cadat. Ad hæc pauca ancillæ ex infimo subfello verba concussa tremuit solidissima Petra, quomodò tu, qui stipula es & foenum, in tentatio-  
ni-

Pro undecima die Mensis. 101

nibus carnis, mundi, & diaboli  
stare poteris.

Quinque Pater & Ave. Et in salutatio-  
ne Angelica post nomen IESU :

Qui à Petro Apostolo tuo ab-  
negatus es.

---

MYSTERIUM  
PASSIONIS DOMINICÆ  
UNDECIMUM.

Meditatio pro undecima die  
Mensis.

XI.

Petrus lachrymans.

Quando B. Laurentius Justi-  
nianus maximas illas virtu-  
tes, quæ in lachrymis à peccato-  
re flagitia sua contra Deum &  
proximum perpetrata agnoscen-

G 3

te

te & resipiscente profusis latent-  
emphaticè describere vult, ita in  
Tract. de ligno vitæ cap. 9. exclam-  
at: *O lachryma humilis, tua  
potentia, tuum est regnum, tribu-  
nal Judicis non vereris, non est,  
qui te ad Deum accedere vetat,  
si sola intres, vacua non redibis,*  
*vincis invincibilem, ligas omnipo-  
tentem, inclinas Filium virginis,  
cælum <sup>upis</sup> asperis, fugis diabolum.*  
Eandem vim lachrymis peccato-  
ris verè pœnitentis attribuit S.  
Ambrosius, serm. 48. de pœni-  
tentia Petri, dicens: *lachrymae  
tacita quedam preces sunt, ve-  
niam non postulant & merentur,  
causam non dicunt, & misericor-  
diam consequuntur.* Secundùm  
Medicorum quidem opinionem,  
ni-

nimia lachrymarum profusio oculis noxia est, eorumque aciem debilitat, sed longè aliam, & planè diversam de profusis peccatorum resipiscientium lachrymis in sensu Theologico statuit thesin Doctor mellifluus, serm. ad Clerum 19. purgatur, inquit S. Bernardus, *oculus antè caligatus & acuitur visus, ut intendere possit in serenissimi luminis claritatem.* Non insultè sal vulgo protestera ac symbolo sapientiae adhiberi solet, sapienter enim agit, & animæ suæ rectè consulit post commissa peccata peccator, qui in hoc falso profluvio animam suam contaminatam abluit, & hisce quasi vinculis omnipotentem ligat, Deumque offendit sibi ciliat.

ciliat. Tam immensa benignissimi Dei erga mortales est clementia, ut pro peccatis nostris unam atque alteram lachrymam ex corde verè contrito per oculos pertrusam accipiat, earumque intuitu peccatorum omnium remissionem nobis largiatur. Expertus est insignem hanc lachrymarum virtutem Regius Vates, qui stratum suum lachrymis per totam noctem rigando, pessimas homicidii & adulterii commissi maculas ex hoc fonte planè delevit. Experta est eandem lachrymarum poenitentium naturam & indolem mulier illa in civitate meretrix; quæ teste sacro Codice & Chrysost. Hom. 6. in Matth. ad Christi pedes provolu-

ta

ta à maximis peccatorum sordibus largissimo lachrymarum fonte purgata est. Expertus est hanc saluberrimam animæ medicinam Petrus noster, qui post clementissimum Salvatoris aspectum flevit amarè, uti Matth. cap. 26. nos docet: *Conversus Dominus, respexit Petrum. Et recordatus est Petrus verbi Domini, sicut dixerat, quia, priusquam gallus cantet bis, ter me negabis,* & egressus foras flevit amarè. Magno zelo loquitur clementissimus noster Deus, per Vatem suum Ezech. cap. 33. de omnibus peccatoribus resipiscientibus: *vivo ego, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat;* si impius egerit pœnitentiam à peccato suo, omnia

peccata ejus non imputabuntur ei. Indignum sanè & lachrymis non satis deplorandum hic Apostolus contra suum Magistrum commisit facinus, ejus latus deserendo , consortium facinorosorum quærendo, Dominum suum nullâ contra ipsum adhibitâ violentiâ, & ad nudam quæstionem tribus vicibus abnegando, imò in fine finali abjurando. Sed noluit pastor fidelis mortem hujus ovis à vera aberrantis via, respexit igitur in illum oculis misericordiæ, ut convertatur ad rectum tramitem, & vivat. Vix Christus Petrum aspexit, cùm hic sibi duplex illud gallicinium, de quo Christus ipsi prædixit, in memoriā revocat, peccatum suum agno-

agnovit & flevit amarè. Aspexit Christus, flevit Petrus. O qualis hæc est Methamorphosis! Christus videt, Petrus ardet. Christus amat, Petrus dolet. Christus ad Petrum convertitur, Petrus ad Christum revertitur. Christus ex oculis suis clementissimis emitit amoris jacula, Petrus in animo suo admittit doloris vulnera. Petrus Christi cor vulneraverat dolore, eum abnegando, Christus Petri cor vulneraverat amore, eum respiciendo, & de ejus cordis vulnere exivit non sanguis, sed aqua. Moyses quondam ex petra baculo suo percussa elicuit aquam dulcem, Christus ex Petro futura Ecclesiæ Petra aspectu suo elicuit aquam falsam. O quam felix

felix est peccator, quem Christus post commissum flagitium oculis misericordiæ aspicit. Eodem enim momento, quo Christus Petrum aspexit, Petrus surrexit, stetit, qui jacuit, flevit, qui deliquit, & eo ipso, quo Christum post abnegationem iterum cœpit amare, flevit amarè. Illi misericordiæ oculi inspirabant Petro spiraculum novæ vitæ, qui negando vitæ auctorem erat vir mortis.

Eja, peccator, illi oculi, quibus Redemptor noster Petrum aspexit, & in rectam viam revocavit, nulli sunt clausi, sed omnibus aperi-  
ti, tuum officium est, ut si optas  
à Christo aspici, oculos tuos vol-  
uptatibus, illecebris mundanis, ne  
mors per has ascendat fenestras,

ha-

habeas clausos, Christo verò uni  
apertos eūmque cum Petro oculis  
lachrymis perfusis aspicias & su-  
spicias. *O si studium quærendi fa-  
ciem Dei* (optat pius Thomas à  
Kempis in Soliloq. Animæ cap. 19.)  
*Nunquam frigescat, sed de die*  
*in diem magis fervescat, inest*  
*enim anima Deum amanti inces-  
sabilis astus ad ejus visionem per-  
fruendam, quia visio Dei beati-  
tudo summa & felicitas perfecta  
est.* Habuisti hactenus faciem tuā  
obversam mundo, dorsum Christo,  
converte imposterum dor-  
sum ad mundum ejusque vanita-  
tes, faciem verò tuam ad Christum;  
& ad te oculos misericordiæ  
Christus convertet. Clamat enim  
per Prophetam Zachariam cap. 11.  
Con-

Convertimini ad me, & convertar ad vos. O vocem plenam solatii. Convertimini Inquit Deus, & convertar, paratus sum, omnes in sinum meum paternum recipere, convertimini modò. Habebat Petrus in Caiphæ ædibus faciem obversam foco, pravóque consortio, dorsum Christo, & ipsum ter abnegavit; simul ac autem dorsum convertit ad focum, ad ancillam ostiariam, ad famulos Pontificum injustitiæque satellites, faciem verò ad Christum, oculos ad Petrum resipiscentem convertit Christus. Ideò de semetipso fatetur S. Augustinus lib. I. Conf. cap. 10. Dorsum habeam ad lumen, & adea, quæ illuminabantur, faciem, unde ipsa fa-

facies meā, quæ illuminata, cernebam. Tanti refert dorsō munum facie Christum aspicere. Qui igitur O mortalis! cum Petro à Christo te avertere non erubisti, eum non ter sed sexcenties, & quid excedit, sceleribus tuis abnegando ; secundūm Petri exemplum pœnitendo & lachrymando, ad Christum te converte, & oculis misericordiæ te aspiciet.

Ad te, O clementissime JESU! levabo oculos meos, qui in coelis habitas, imò, qui nobiscum habitas in terris tanquam Emanuel in Ss. Eucharistia præsens, & per cancellos nos aspiciens *sicut oculi ancillæ* (testatur Vates Regius psal. 122.) *in manibus Dominae*  
sue

*sua, ita oculi mei semper ad dilectum meum.* Respice me eodem oculo, quo in ædibus impii Pontificis respexisti post lapsum, Petrum, & ut oculi Petri ita & mei deduscent exitus aquarum. Aspice me illis oculis, quibus Lazarum è monumento foetidum, cum suscitares, lachrymatus es, & mox aperietur monumentum peccatorum meorum, mortuusque ab illis resurget; Aspice in me, & miserere mei. Amen.

*Quinque Pater & Ave, & in salutatione Angelica post nomen IEsu :*

*Qui Petrum lachrymantem oculis misericordiæ aspexit.*



MY-

MYSTERIUM  
PASSIONIS DOMINICÆ  
DUODECIMUM.

Meditatio pro duodecima die  
Mensis.

XII.

Petrus ad Christum se convertens.

**I**N urnis Ethnicorum sepulchralibus certa quædam reperiuntur vasa vitrea, in quibus curiosus & in antiquitatibus versatus oculus, sal aliquod album, tanquam acidas reliquias lachrymarum, quas defunctorum Viduæ, liberi, & reliqui cognati die funerali in ejusmodi vasib, in tesseram, intinierga mortuum amoris coleunt, cernere & observare licet; quæ tamen reliquæ nobis

H

chri-

Christianis, præter illam, quam probant, antiquitatem, nullam aliam afferunt utilitatem, imò impian paganorum redolent superstitionem. Mittamus igitur ejusmodi reliquias, quoniam in historia Passionis Dominicæ per lachrymas à Petro resipiscente profusas, sal longè aliud nobis ostenditur, quod ritè conscientiis nostris per peccata varia contaminatis applicatum multò præstantius, gratissimāque Deo vieti ma est. Laudent Medici, & usque ad coelum extollant varia illa, quibus Apothecas replere solent, salia, maneatque iis ea, quæ ejusmodi salibus in arte medica ad sananda corpora nostra adscribitur virtus, majorem tamen sal illud

la-

lachrymarum ad exemplum Petri, propter commissa scelera profusarum, assert ulilitatem. Petrus teste Antiocho Hom. 107. *Amarulentissimis lachrymis unā horā profusis, non peccatum modo abnegationis promeruit sibi condonari, sed ē in earum gratiam illi concredita sunt claves regni calorum.* Cūm igitur tanta in lachrymis peccatoris poenitentis consistit virtus & medicina, ut teste Petro Zellensilib. i. de poenitentia, cap. 12. *Sathan tollerabilius sustineat flamam suam, quam lachrymam nostram, acriusq; contriti cordis lachryma, quam flamma inferralis incendiis torqueatur, & secundūm orthodoxam sententiam*

Chrysostomi, Hom. i. in Luc. cap.  
10. *Lachrymæ peccatorum ipsum Gehenna incendium extinguere possint;* quid cessas O peccator! tam salutarem animæ sauciæ adhibere medicinam, eásque fordes per patrata flagitia contractas eluere. Si fortè rectam methodum, hanc medicinam cum fructu adhibendi, desideras scire, seque-re Petri se convertentis vestigia, negotiūmque tibi ex voto succedit: Adventum diei insimulque instantem Petri lapsum gallus consueto signo prædixerat, Petrus autem ad minaces ancillæ ostiarie, reliquorūmque nebulonum voces intentus, ac timore perculsus, illud gallicinium non obser-vaverat; instat gallus pœnitentiæ

tiæ præco alatus, repetitque can-  
tum suum, sed surdo narrat fabu-  
lam: simul autem ac Christus Pe-  
trum respicit: *Hic egressus foras*  
*flevit amarè*, & à triplici suo la-  
plu tam gravi confessim resur-  
git. eo ipso tempore & momen-  
to, imò in ipso oculi ictu, quo  
mitissimus Redemptor noster,  
Apostolum suum misericordiæ  
oculis aspexit, recordatus admo-  
nitionis illius paternæ, quam ra-  
tione iterati gallicinii à Magistro  
suo accepit, egreditur foras, dese-  
rit periculosem Caiphæ focum,  
relinquit apud illum ancillā ostia-  
riam cum impiis Pontificum sa-  
tellitibus, & qui Christum abju-  
raverat, illum negando, pes-  
simum illud consortium, à quo

ad tam indignum facinus timore  
compulsus fuit, abjurat, néve re-  
cidivam patiatur, sine ulteriori  
mora properat ex ædibus Cai-  
phæ, tanquam speluncâ Nebulo-  
num, in quibus animam suam  
tantis exposuit periculis, & hâc  
ratione egressu declinat à malo,  
lachrymarum autem profusione  
fecit bonum post conversionem  
suam, de eo maximè solitus, ut  
omnem ulteriùs peccandi occa-  
sionem omni modo evitare, & in  
via virtutum regia permanere  
possit. Flevit Petrus, quia flenda  
patravit, flevit non ex quadam  
consuetudine, vel alia animilevita-  
te, multò minùs ex impia hypro-  
crisi, sed flevit amarè, ex vera &  
plenaria cordis contritione. Fle-  
vit

vit, non propter jacturam bonorum terrenorum, quam fecit, sed propter amissionem sumimiboni; flevit amarè, qui Chistum amare ex timore intermisit, eumque ter abnegavit. Non sufficit O peccator! quod flagitia tua, eorumque gravitatem agnoscas, sed insuper requiritur, ut de commissis peccatis tuis ex intimo corde doleas, firmissimum, mores corruptos radicitus eyellendi & corrigendi, facias propositum, ablata bona, læsamque famam restituas, occasiones peccandi cane pejus & angue vites, & instrumenta, quæ ad peccata tibi derunt ansam, quantum fieri potest, à te removeas, ac ita conversionem tibi curæ cordique fuisse,

in omnibus ostendas: quod anima corpori, id propositum eman-dandi vitam, occasionemque pec-catorum fugiendi, est poenitentia, sine anima corpus est mortuum, & sine sancto hoc proposito omnis poenitentia est frivola & ina-nis.

O mitissime JEsu! omnium oculi in te sperant, Domine res-pexisti in Petrum, eumque clem-entissimo hoc aspectu in man-datorum tuorum viam reduxisti, respice etiam in me miserrimum peccatorem, & miserere mei. Usquequò avertis faciem tuam à me? ostende mihi illam, & salvus ero. Ubi tu semel respicis, mundus & omnia, quæ in illo sunt, no-bis nauseam creant. Ubi tu O.

JEsu

JEsu respicis, cadunt catenæ de manibus, dissiliunt vincula, aperiuntur portæ ferreæ, redimuntur captivi. Ubi JEsus respicit illuminatur intellectus, inflammatur voluntas, corroboratur spiritus, cor & caro aliàs infirma exultat in Deum vivum omniaque sunt in tranquillo. Ubi JEsus respicit, subito & quasi in ictu oculi, persecutores ejus fiunt Apostoli, publicani Evangelistæ, peccatores ejus Discipuli, prædones misericordiæ divinæ præcones, meretrices ejus sponsæ, redit post hunc aspectum filius prodigus ad Patrem, surgit paralyticus, tollit grabatum suum & abit, cœcus videt, leprosus mundatur à lepra sua, surdus audit mandata Do-

mini, mutus loquitur & confiteatur sacerdoti peccata sua, claudus ambulat viam mandatorum, mortuus resurgit è monumento peccatorum; tanta virtus latet in aspectu Redemptoris nostri.

Respice igitur in me O JESU! quia à te & benignissimis tuis oculis aspici, est salutem æternam consequi. Respice in me, gratiamque tuam mihi largire, ut peccata mea rectè agnoscere, illa in vera cordis contritione deflere, omnem peccandi occasionem effugere, à malo declinare, viam mandatorum ruorum currere, & in servitio tuo usque ad extremum vitæ halitum permanere possim. Amen.

Quis-

Pro duodecima die mensis.

123

Quinque Pater & Ave, & in salutatione  
Angelica post nomen IESUS :

Qui Petrum in gratiam re-  
cepit.

---

MYSTERIUM  
PASSIONIS DOMINICÆ  
DECIMUM TERTIUM.

Meditatio pro decima tertia die  
Mensis.

XIII.

*Christus ad Petrum ducitur.*

**F**Inita erat jam nox illa abominabilis, in qua Salvator noster captus in horto Gethsemane, vinculisque ligatus ad Annam & Caipham ducitur, in utriusque domo variis & extremis affectus erat contumeliis, nox illa, in quâ secundùm sententiam divi Chry-

to-

sostomi patefacta sunt inferorum  
claustra, ipse Lucifer cum omni-  
bus omnino, ad unum usque, dæ-  
monibus, fractis vinculis ac repa-  
gulis Jerosolymam convolârunt,  
ac Judæorum, nec non Romano-  
rum corpora obsederunt, quò  
omne suum diu conclusum odiū,  
virus, invidiam, iracundiam, ra-  
biem, furorem in unum Christum  
effunderent. Absolutâ hâc nocte  
funestissimâ dies appropinquabat,  
dies ex omni parte magnus, imò  
omnium, qui à sole condito elu-  
xerunt, & in futurum elucescent,  
dierum longè maximus, dies bo-  
ni nuncii captivis in limbo Patri-  
bus, peregrinis in mundo homi-  
nibus, beatis in cælo spiritibus,  
dies plenus Sacramentis, fideique  
my-

mysteriis, adorandis prodigiis, dies, quo opus illud totius mundi, morte Hominis - Dei, redempti erat consumandum. Tempore hujus sacratissimi diei matutino, testibus Evangelistis, consilium injerunt omnes Principes Sacerdotum, seniorésque populi adversus Jesum, ut illum morti tradérēnt; hoc concilium fuit quondam toto orbe celeberrimum, quippe in quo à senioribus & Doctoribus populi, viris prudentibus, sagacibus, in Theologia aliisque scientiis optimè versatis, cause gravissimæ, religionis, fidei orthodoxæ, morum, tractabantur & decidebantur; sed sacratissimo hoc die illud concilium olim tam augustum degeneravit in

con-

conciliabulum diaboli, & confessum pessimorum nebulonum, id quod vel ex solo scopo satîs judicare licet, consilium enim adversus Jesum ineunt, non ut eum factâ causæ legitimâ cognitione convincant, sed ut absque ulla discussione illum morti tradant.

O injustissimi Judices, vipetarum genimina! qui nam ex jure consultis vestris, hunc adversus reum procedendi modum vos docuit? in quam lege hæc norma vobis est præscripta? sacrilegi vestri Pontifices Annas & Caiphas cum reliquis Sacerdotibus aliquales conquisiverunt causas & prætextus, testesque ad JESUM convincendum convocârunt, vos

verò

verò non erubuistis illum, quamvis innocentissimum nullo juris & legitimi processū ordine insuper habito, morti tradere & secundūm axioma hoc tyrannis proprium

Sic volo, sic jubeo, stat pro ratione voluntas,

Procedere. Christo coram blasphemō hoc conciliabulo comparenti absque ullis ambagibus, hæc proponit̄ quæſtio : *Si tu es Christus, dic nobis ?* O vos Patres conscripti, vel potius fratres ignorantiae, quām inepta hæc est quæſtio, quæ, si ab infantibus & pueris vestris obmoveretur, ipsis, quia ætate & judicio carent, venia tacitè dari possit ; vos verò scribæ Principesque Sacerdotum, quorum

rum officium efflagitat, sacri Codicis, Prophetarumque arcana perscrutari, veramque doctrinam recte explicare, quo pacto crassam illam, quam insulsa hanc quæstione proditis, ignorantiam, satis excusare poteritis: scire desideratis, an ille, qui vobis tanquam reus in conciliabulo vestro sistitur, sit Christus Messias promissus? examineate quæso pueros vestros, qui ante sex dies Christum civitatem vestram intrantem, magno excepérunt Jubilo, & uno omnes ore exclamáreunt, *Benedictus qui venit in nomine Domini, Hosanna in excelsis.* Illi vobis doctribus Synagogæ scientiâ inflatis hunc nodum facili negotio solvere, Prophetarumque de adventu

Messiae

Messiae vaticinia explicare poterunt; sed quid Salvator noster ad insulsam hanc quæstionem? hactenus propriam causam silentio, quod innocentiae documentum esse solet, involvere, & ad varia illa, quorum insimulabatur crimina, ne unicum voluit in contrarium proferre verbum, sed ad omnia convitia tanquam agnus innocens os suum non aperiens, tacuit. Quoniam verò quæstio ipsi proposita non propriam causam, sed officium suum, insimulque honorem Patris cœlestis concernebat, silere amplius noluit, sed aperit os suum, se esse Christum & Messiam coram publico concilio profitetur, imò plus loquitur, quam interro-

gantes scire desiderabant, re-  
spondens: *Vos dicitis, quia ego  
sum, ex hoc autem erit filius ho-  
minis sedens à dextris virtutis  
Dei;* hoc responso nos docens,  
aliam esse gerendam personam in  
propria causa, aliam in causa Dei,  
quódque fas sit in propria causa  
silere, injuriásque tranquillo a-  
nimo perpeti, econtrario in causa  
Dei & fidei orthodoxæ cum con-  
scientia veritatem profiteri, ma-  
gnisque defendere ausibus, &  
circa negotium hoc arduum in  
sermone & scriptis exhibere con-  
stantiam, in quæstione fiduciam,  
in persecutione & morte propter  
professionem fidei Catholicæ per-  
severantiam. Irritati per hanc  
Christi responsionem nimis te-  
me-

merariam (uti impii arbitrati sunt scribæ) & insolentem, nebulones illi, id, quod inter illos in initio confessus, & ante proposi-  
tam Christo quæstionem præ-  
postero ordine conclusum erat,  
executioni mandant, *surgens e-  
nim* (italoquitur Textus) *Omnis  
multitudo eorum summi Sacer-  
dotes cum senioribus & scribis &  
uniuerso concilio adduxerunt  
eum, & tradiderunt Pontio Pilæ-  
to Præsidi.* Tradiderunt eum  
Præsidi Imperatoris Tiberii, *ut  
eum morti tradant, & ita agnus  
innocens Dominus noster à lupis  
ad leonem, à tribunali Pontificio  
ad profanum, ab ædibus impii  
Caiphæ ad Prætorium Pilati ido-  
lolatræ ducitur captivus, & à*

Judæis gente olim Dei propria  
& electa, ad gentem peregrinam,  
gentiles scilicet traditur Homo-  
Deus ex gremio Patris æterni  
in castissimum Virginis gremium  
descendens, ut non tantum Ju-  
dæos ingratos, sed etiam gentiles  
in superstitione cœcos, passione  
& morte suâ ab æterna morte li-  
beraret.

Elocutus es , O amantissime  
JEsu, coram impio hoc Judæorū  
& populi seniorum conciliabulo  
sine ullo metu veritatem , téque  
Christum Messiam promissum  
professus publicè , quamvis ex  
omni scientia tua divina scire , &  
ex omnibus circumstantiis facile  
colligere potueris , nova vincula ,  
contumelias mortémque crucis  
igno-

ignominiosissimam te manere ;  
assisste igitur & mihi tuâ gratiâ,  
ut eam, quam coram toto mundo  
profiteor, veram & othodoxam  
fidem, ore & scriptis ulterius de-  
fendere pro virili, & omnes mo-  
lestias, persecutionesque, quas ha-  
etenus eo nomine sustinui, quæ-  
que mihi imposterum imminent,  
præsente animo perferre, in hac fi-  
de Catholica constanter usque ad  
mortem permanere , & tandem  
finitâ hâc vitâ ærumnosâ, in futu-  
ra gloria cœlesti cum electis no-  
men tuum in æternum laudare  
possim. Amen.

*Quinque Pater & Ave. Et in salutatio-  
ne Angelica post nomen JESus :*

*Qui pro nobis ad Pilatum  
ductus est.*

MYSTERIUM  
PASSIONIS DOMINICÆ  
DECIMUM QUARTUM.

Meditatio pro decima quarta die  
Mensis.

XIV.

*Judas post prodictionem ab omnibus relictus.*

**S**uprà mysterio quinto consideravimus, quām blandis & amicis verbis mittissimus Salvator noster Judam omnium mortaliū flagitiosissimum allocutus sit, eūmque expansis brachiis, & admotis labiis, ut eum in rectam adducat viam excepérít, dicens : *Amice, ad quid venisti? Ah! quām benē sibi, suæque animæ consulüsset perfidus hic proditor, si ad*

Pa-

Paternam Magistri sui admonitionem, à cœpta proditione destitisset, maximum scelus illud agnovisset, idque largo lachrymarum imbre cum Petro collega quondam suo eluisset, & ex contrito corde veram pœnitentiam egisset. Sed quoniam spretâ hâc admonitione tam amicâ ab impiò suo proposito desistere noluit, potius contractui cum Sacerdotibus Synagogæ inito stetit, ac innocentissimum Dominum suū, mediante perfido osculo suo, *in manus inimicorum tradidit*, & patrato hoc facinore se per aliquot horas subduxit; ordo Passionis Dominicæ efflagitat, ut scelestissimum hunc mortalium, quamvis omni memoriâ planè

indignum, in memoriam revoce-  
mus, & miserrimum hujus facino-  
ris exitum in fine finali contem-  
plemur.

Quàm periculose sit, relicto  
Deo, in Principibus hominum, in  
quibus tamen nulla salus est, con-  
fidere, Judas ante interitum tra-  
gico suo nos docuit exemplo.  
Hic filius confusionis, ac perdi-  
tionis ex collegio Apostolorum  
Apostata, ex militibus Christi  
transfuga, ex discipulo proditor,  
postquam Ducis sui castra dese-  
ruisset, & Dominum suum pro-  
dere proposuisset, omni destitu-  
tus solatio & consilio apud Pon-  
tifices ac Principes Sacerdotum  
Asylum & refugium quæsivit.  
Quò igitur eorum sibi conciliaret

fa-

favorem & patrocinium, sum-  
mum mundi pretium vilissimo  
vendidit pretio, certò persuasus,  
quamdiu eorum, qui in interitum  
& mortem Magistri sui jam diu  
conspiraverant, benevolentia ni-  
teretur, se in tuto navigare, &  
hac detestandâ proditione præ-  
sentissimum in periculis refugium,  
securum in naufragio portum,  
maximum in moerore solatium,  
firmissimum in necessitate præsi-  
dium elegisse: simul ac autem  
**Christus** coram Anna, Caipha,  
& reliquorum Sacerdotum con-  
ciliabulo impio ad mortem con-  
demnatus, & Pontio Pilato, qui  
nomine Imperatoris Tiberii, jus  
vitæ & necis in Judæos, remoto  
à Regno Judâ sceptro, exercebat,

traditus eslet; condemnabat Ju-  
dam conscientia tam atrocissimi  
sceleris rea, & cum patricida in  
extrema exclamabat desperatio-  
ne, *Major est iniquitas mea,*  
*quam ut veniam merear.* Quid  
igitur consilii in ultimis hisce an-  
gustiis? Ubinam gentium pedem  
figam? Unicum adhuc mihi su-  
perest in tanta desperatione sub-  
sidium; ibo ad Synagogam, ad  
Pontifices & Principes Sacerdo-  
tum, scio, quam anxiè laborave-  
rint, ut IESUM morti tradere pos-  
sint, & quantam mihi, si hoc ef-  
fecerim gratiam, ac præter acce-  
ptos triginta argenteos, remune-  
rationem promiserint: pro hoc  
officio ipsis exhibito tam acce-  
pto & grato non erunt ingratii;

in-

ingreditur miserrimus hic mortalium templum, vultu non tam ad mœstitiam, quàm desperationem composito, oculis lachrymantibus cum magno vocis singultu, projicit triginta argenteos, vilissimum illud, quod pro vendito Magistro suo acccepit pretium, cum indignatione ad terrā, ad Pontificum & Sacerdotum pedes, eosque hisce paucis alloquitur verbis: *Peccavi tradens sanguinē justum.* Confessio hæc publica quidem quatuor tantum verbis constat, omnibus tamen peccatoribus pertinacibus, qui peccata sua agnoscere, & Sacerdoti in secreto confiteri nolunt, ac ita Ju-dâ in pertinacia longè pejores ex istunt, in extremo judicio extre-

tremum incutere poterunt pudorem, confusionem & horrorem. Sed quale ab hisce animæ proditoribus proditor Christi accepit responsum? quale solatium? forte ipsum in extremo hoc moerore consolantur? non; forte tanquam Sacerdotes post confessionem hanc publicam, conscientiam ream & angustiatam à peccatis absolvunt? non; forte ipsum pro præstito insigni hoc officio in clientelam recipiunt? non; forte maximas ipsi insolamen promittunt divitias & honores? non, sed laconicè respondent: *Quid ad nos.* Protestatur Judas ratione accepti pretii, dicens: reddidi triginta illos, qui mihi pro Magistro meo soluti sunt, argenteos,

ac-

accipite illos in omnium dæmonum nomine, mēque à reatu absolvite; respondent Sacerdotes, solvimus, quod vi contractū promisimus, & intuitu hujus pacti contra justitiam non peccavimus. *Quid ad nos.* Exclamat Judas, miseremini mei, O Sacerdotes. *Quid ad nos.* Confiteretur: vendidi eum, qui majores nostros ex Ægypto liberavit, per mare rubrum deduxit, manna de cœlo dedit &c. respondent, *Quid ad nos?* pergit: Peccavi, & peccatum meum contra me est semper; *Quid ad nos?* instat vestri gratiâ, gratiâ Christi excidere non dubitavi; *Quid ad nos?* consilium capiendi Magistrum meum vobis suggessti, & ecce pereo; *Quid ad*

*ad nos?* non cessat clamare: extremum mihi impendet exitium,  
*Quid ad nos?* æternâ moriar morte, *Quid ad nos?* despero salutem;  
*Quid ad nos?* arripio laqueum; *Quid ad nos?* ascendo arborem;  
*Quid ad nos?* anima mea ad cœlum creata descendit ad orcum;  
*Quid ad nos?* Ita Judas à conscientia redargente vexatus, ab omnibus derelictus, nusquam habet refugium; à Christo desperat auxilium, à Judæis eorumque senioribus non accipit solatium, à nullo neque à coelo neque à terra exspectat subsidium. O miserrimam peccatoris conditio-  
nem! O deplorandum ejus statum! eo imprimis tempore, quo instantे morte anima anxia ad

tre-

tremendum Dei vocatur judi-  
cium, homóque ab omnibus,  
præsertim ab illis, in quibus tan-  
quam criminum sociis ac correis,  
maximam posuit fiduciam, planè  
derelinquitur: Exclamat in hís-  
ce angustiis Magnates: pecca-  
vimus, O impii consiliarii, vobis  
authoribus subditos nostros im-  
modicis tributis & exactionibus  
gravando; respondent perversi  
eorum Ministri, *Quid ad nos.*  
Exclamat degener Ecclesiæ Ca-  
tholicæ filius: peccavi O hæretici,  
qui sponsam Christi longè majo-  
ri vobis, quam Judas sponsum Sa-  
cerdotibus, vendidi pretio, illud-  
que non, ut Judas, restitui, sed in  
usu meum verti, respondent  
Acatholici: solvimus, quod tibi

pro-

promisimus, *Quid ad nos.* Exclamat corruptus Judex ac impius causidicus; peccavi, justitiam pretio accepto vendendo, protrahendo; respondent litigantes: *Quid ad nos.* Exclamat Helluo; peccavi, dum vobiscum indies vino me ingurgitavi; respondent compotatores: *Quid ad nos.* Exclamat luxuriosus, peccavi, pretiosissimum Christi sanguinem amore bestialium voluptatum pedibus conculcando; respondent scorta, *Quid ad nos?* & ita mundus ridet in interitu peccatorum, ab omnibus flagitorum sociis planè derelictorum, dæmonumque cohors exultat. Minatur Deus ejusmodi peccatoribus per Vaten Ezechiel. 16. *Dabo te in*

*ma-*

manus amatorum tuorum, &  
denudabunt te vestimentis tuis,  
& auferent vasa decoris tui &  
derelinquent te nudam plenamq;  
ignominiam: cum igitur teste Di-  
vinâ Majestate videas, O pecca-  
tor, quām indignè mundus olim  
blandiens ejusque filii flagitio-  
rum tuorum socii & promotores,  
complices suos tractent, eos non  
tantum in articulo mortis relin-  
quendo , sed insuper ad interi-  
tum eorum cum ipsis dæmoni-  
bus exultando, quid cessas tam  
ingratos & infideles socios dese-  
rere, quin potius omnis consilii  
& solatii expers ad illum te con-  
verte, qui peccatores recipit, cu-  
jusque indoles est, semper misere-  
ri & parcere, & non audies ex

ore illius impia illa verba, *Quid ad me?* potius tibi respondebit, revertere mihi, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat. O mira rerum mutatio! desertorem mundi Deus recipit, mundus militem suum deserit. Tu O peccator ipse judica, an magis consultum sit, mundo te deferenti, an Deo te recipienti adhaerere, mundique blandimenta pestis instar effugere; ad hunc tam fidelem pastorem cum ove perdita propera, & ille te in humeros tuos recipiet. Dic, quod Judas, non ut Judas, sed corde vere contrito & humiliato, *Peccavi*, & illico audies à Patre cœlesti, *confide fili*, remittuntur tibi peccata tua. Exclama cum filio prodigo:

Pa-

Pater, peccavi in cælum & co-  
ram te, non sum dignus vocari  
filius tuus; & audies vocem so-  
latii plenam: citò proferte stolam  
primam & induite illum, & date  
annulum in manum ejus & cal-  
ceamenta in pedes ejus, & addu-  
cite vitulum saginatum & occi-  
dite, manducemus & epulemur,  
quia hic filius meus mortuus erat  
& revixit, perierat & inven-  
tus est: procumbe O peccator  
ad pedes Sacerdotis, aperi ipsi,  
mediante purâ confessione omnia  
vulnera animæ tuæ, absolvet te  
in nomine Patris & Filii & Spi-  
ritus S. Amen.

Quinque Pater & Ave, & in salutatione  
Angelica post nomen IESUS:

Qui à Juda discipulo suo pro-  
ditus est, K.2 MY-

MYSTERIUM  
PASSIONIS DOMINICÆ  
DECIMUM QUINTUM.

Meditatio pro decima quinta  
die Mensis.

XV.

*Judas desperans.*

**I**Ntoto terrarum orbe nihil tam  
triste, nihil abominabile exco-  
gitari & inveniri potest peccato  
mortali, eo ipso enim, quo ho-  
mo per ejusmodi flagitium ex-  
proæresi commissum divinam of-  
fendit Majestatem, jus ad cœlum  
per merita, passionem, & mortem  
Salvatoris quæsitum amittit, om-  
nibus præsidiis ad regnum coeli,  
virtutibus, meritis, suffragiis Ec-  
clesiæ, communione Sanctorum,

tu-

tutelâ Angelorum, protectione  
divinâ spoliatur. Peccator mor-  
taliter peccans in tantam incidit  
calamitatem, ut, licet omnes,  
quotquot unquam fuerunt & e-  
runt tyranni, omnia tormento-  
rum instrumenta, quæ ingenio-  
sa excogitare & confidere poterit  
crudelitas, ipsi infligerent omnes  
omnium sæculorum homines, in  
ipsius perniciem conjurârent, li-  
cet omnes ex orco ascenderent  
dœmones, ut coadunatis viribus  
ipsum dilaniarent, omnia hæc &  
infinita alia, quæ mente concipi  
possunt, mala & damna non  
comparari possint cum malo illo  
omnium extremo, quod pecca-  
tor, vel unicum peccatum mor-  
tale patrando, sibi suæque animæ

conciliat. Secundum judicium enim S. Bonavent. serm. i. Dom.

4. Pascha: Peccator, si propriam animam peccato mortali contaminatam videre posset, eam abhorreret, quia serpente horribilior & coram oculis Dei immundior, turpior, abominabilior, ac fætidior omni basilisco & cadavere putrefacto: veluti Dionys. Carth. de inferno artic. 43. statuit: In mundo non est cloaca tam fæda, sicut peccator, in quo spurcitia vitiorum, fætor scelerum & putredo impiorum affectuum. In eandem sententiam loquitur D. Bernardus: Peccator est opprobrium hominum, pecore vilior, cadavere pejor, tolerabilius canis putridus fætet hominibus, quam ani-

*anima peccatrix Deo.* In specie miserrinia est conditio conscientiae peccatis mortalibus obnoxiae, quis enim (merito querit Chrysostom. hom. 3.) Ferre potest conscientiam redarguentem & amarulentam accusatricem, quemadmodum se ipsum nemo potest effugere, ita nec illam ejus curia sententiam, Hoc tribunal pecuniâ non corrumpitur, adulationalibus non acquiescit, eò quod divinum est, & à Deo nostris imponitur mentibus. Proinde teste S. Augustino in Psalm 45. Inter omnes tribulationes humanae anima nulla est major tribulatio, quam conscientia delictorum; quidquid enim, O homo, vis, potes effugere præter conscientiam propriam.

Dubitas fortè O pertinax peccator ! de veritate harum Thes-  
sium, ex tot probatis Doctoribus tibi ostensarum: aspice Judam,  
quondam discipulum & Apostolum Christi, post commissum tam  
immane flagitium de salute sua  
desperantem, violentas manus si-  
bi inferentem, vitam laqueo fi-  
nientem, ex arbore ferali penden-  
tem, & in hoc mortuo cadavere  
vivum exemplum peccatoris in  
peccatis suis perseverantis con-  
templare :

Felix, quem faciunt aliena pe-  
ricula cautum.

Hic Judas in Redemptorem  
suum perfidus, in Magistrum in-  
gratus, in Deum sacrilegus, dia-  
bo-

diaboli mancipium non uno im-  
petu in extremam hanc calamita-  
tem æternumque interitum  
prolapsus est, sed per gradus ad  
desperationem & orcum descen-  
dit. Initium hujus mali consistit  
in pravis, quas animo concepit  
cogitationibus, dum sibi propo-  
suit Magistrum in manus inimi-  
corum tradere.

Ecce primum hujus calamita-  
tis gradum, properat ad impia  
Synagogæ membra, iisque ab-  
ominandum hoc consilium ex-  
ponit, & ita ad secundum descen-  
dit gradum. Sacerdotes hanc oc-  
cationem jam diu exspectatam  
& fronte capillatam ambabus ar-  
ripiunt manibus, & cum prodi-  
trore de pretio convenientiunt, quod

pactum cum impīis initum tertium lapsūs Judaici ostendit gradum. 4. acceptis à Sacerdotibus 30. argenteis traditionē Magistri promittit, 5. tempore nocturno cum satellitibus Sacerdotum ad hortum Getsemāne advolat, JEsūmque 6. adhibito, loco tesseræ militaris, osculo, manibus impiorum tradit, ejusque brachia funibus & catenis, si non ipse ligavit, tamen satellites adductos, ut hoc facerent, exhortatus est, & ~~fīc~~ fuit ultimus facinoris hujus atrocissimi, desperationis autem primus gradus.

Haec tenus sathanas Judæ oculos tantâ obcoœcavit caligine, ut atrocitatem immanissimi hujus sceleris videre non potuerit, multò

tò minus ejus gravitatem rectè penetrare, simul ac autem scelus hoc fuit consummatum: dæmon ipsi oculos hactenus clausos aperuit, abyssum omnium malorum, in quam proditione suâ sémet præcipitavit, ostendit, crimen hoc atrociter exaggeravit, spem ad consequendam iterum gratiam divinam ipsi planè ademit, conscientiam pungentibus stimulis exagitavit, tandem ad desperationem extremam, imò ad autocheiriam ipsum adegit. Hunc procedendi modum diabolus astutus cum peccatoribus pertinacibus & desperatis quotidie adhuc observat. In initio animo occurrit prava dæmonis suggestio, eam admissam excipit dele-

*Eta-*

Etatio, dum illa non repellitur, subsequitur consensus ad committendum flagitium, consensi succedit actus, ex eorum frequentia nascitur consuetudo, quæ in naturam, nec furcâ expellendam vertitur, tandem ex his omnibus exoritur pertinax & obscurata in consciscendis sceleribus voluntas & constans propositum, quod nullas amplius confessariorum & concionatorum admonitiones, nullas eorum iminas admittit, imò nec ipsis suppliciis dimoveri amplius potest; sed peccatorem ejusmodi obstinatum ad desperationem compellit.

O profundissimam omnium malorum abyssum! vis illam, pec-

ca-

cator, evitare & contra hæc extrema mala remedium adhibere, sequere tritum illud consilium :

Principiis obsta , serò medicina paratur ,

Cùm mala per longas invaluēre moras.

Si Judas pravas illas cogitationes ex mera avaritia exortas, in ipso principio suppressisset, in tantam non incidisset calamitatem, quod igitur Judas cum æterno suo interitu intermisit, tu O peccator noli negligere , nec concedere ut malum illud ex longa mora crescat, virésque acquirat, sed principiis obsta , pravisque dæmonum suggestionibus omnibus

viribus resiste. Principium mediciæ (secundum Ambros. lib. de Noë cap. 17.) est causas languoris incidere, ne diutius ea, qua movent ad incrementum agritudinis, ministrentur. Humanum est peccare, diabolicum in peccato persistere. Quòd si verò hanc vigilantiam omiseris, ac peccata peccatis cumulaveris, noli tamen cum Juda arborem illam feralem ascendere, propera potius ad arborem, ex qua salus mundi pèpendit, projice te ad pedes Salvatoris tui, qui expansis brachiis peccatores per veram poenitentiam revertentes recipit. Imitare non Judam, sed debitorem illum Evangelicum, qui non planè remitti, sed differri tantùm debitum

ro-

rogabat , Dominus autem ipſi  
omne dimisit debitum; cur hoc?  
fortè quia triduo in aqua & pane  
inediam sustinuit? non ; fortè  
quia nocturnis se maceravit vigi-  
liis? non ; fortè quia peregrinando  
se fatigavit? non ; fortè quia pluri-  
bus annis cetero amictu in corpus  
animadvertisit? non ; fortè quia in  
eremum & solitudinem secessit?  
non ; sed tantum quia rogavit Do-  
minum , ipſi remissum est debi-  
tum. Eodem igitur momento,  
quo tu percutis pectus tuum ,  
comoventur Domino omnia vi-  
scera, simul & rogas & impetas.

O Domine JEſu Christe, ego  
Judâ pejor & peccatorum inſi-  
mus de omnibus, quæ in te com-  
misisti flagitiis ex intimo corde  
doleo

160 Meditatio decima sexta,  
doleo, & in vera contritione pe-  
catus meum percutio,

Ingemisco tanquam reus,  
Culpâ rubet vultus meus,  
Supplicanti parce Deus. Am.

*Quinque Pater & Ave. Et in salutatio-  
ne Angelica post nomen IESU:*

Qui à Juda Discipulo suo pro-  
ditus est.

---

MYSTERIUM  
PASSIONIS DOMINICÆ  
DECIMUM SEXTUM.

Meditatio pro decima sexta die  
Mensis.

XVI.

*Christus coram Pilato falsò  
accusatur.*

**M**oeftissimam illam noctem,  
in qua Salvator noster ab

im-

impiis Judæis in horto Gethsemani, in ædibus Annæ & Caiphæ, nec non in concilio seniorum ac scribarum tam indignè habitus est, excepit magna dies illa omnium sanctissima, quam divina providentia in temporum catalogo ab omni retro ætate notaverat, dies salutis à toto genere humano diu exspectata, Christo fatalis, nobis natalis, plena multis & maximis fidei Catholicæ mysteriis, quorum præcipua capita in sequentibus XV. meditationibus eo, quo in historia Passionis Dominicæ sequuntur ordine, devotè considerabimus.

De initio hujus diei ita loquitur Evangelista Marc. cap. 15. *Confestim manè concilium facientes*

L sum-

summi Sacerdotes cum senioribus  
& scribis & universo concilio,  
vincientes Iesum, duxerunt &  
tradiderunt Pilato. Tanta per-  
versæ Judæorum Synagogæ erat  
impatientia, vel potius tam im-  
mensus furor, ut plenum diei ap-  
propinquantis adventum exspe-  
ctare non potuerit, sed pessima  
hujus dicasterii membra cum  
collecta populi turba, die vix albe-  
scente confestim post initum de  
morte Christi consilium & con-  
clusum decretum, ad prætorium  
Pilati summi Romanorum Præsi-  
dis sine dubio adhuc in strato se-  
cundùm morem Magnatum se-  
cure quiescentis, cum maximo  
tumultu advolant, eumque ex  
somno excitant. Pilatus, ne of-  
ficio

ficio sibi ab Imperatore Tiberio  
concredito deesset, admittit tem-  
pore non adeò opportuno hanc  
turbam insanientem, avidus scire  
causam, ob quam Judæi in die,  
maximum illud in religione Ju-  
daica festum Paschatis præceden-  
te, loco præparationis ejusmodi  
solennibus divinis debitæ, tantos  
primo manè excitaverint tumultu-  
& quid hoc sibi velit, ex ipsis  
quærerit. Prævaricatores illi inter-  
missis omnibus solennitatibus &  
ambagibus in ejusmodi summis  
tribunalibus aliàs consuetis, falsas  
illas, quas contra innocentissi-  
mum JESUM jam antea excogi-  
taverant, accusationes Præsidi  
Cæsaris laconicè proponunt, quæ  
ad tria commode referri possunt

capita , quorum primum est,  
quod eum invenerint subvertere  
gentem Judaicam ; alterum, quod  
inhibuerit tributa Cæsari solvere ;  
ultimum, quod se Regem dixe-  
rit. Prô ! quam evidentissima sunt  
hæc mendacia ! quomodo , ô pes-  
simi nebulones, qui in capita ve-  
stra mentiti estis, asserere non e-  
rubiuitis, Christum gentem Ju-  
dæorum evertere , qui gentis ve-  
stræ inimicos evertit, Pharaonem  
cum exercitu persequente, mari  
rubro submersit, & in terram  
sanctam lacte & melle fluentem  
vos introduxit ? quomodo pro-  
hibere potuit Cæsari tributum  
solvere, qui ostensâ sibi monetâ  
jussit dare Cæsari, quæ sunt Cæ-  
sarîs ? Matth. cap. 22. quomodo  
ille

ille se Regem esse dixit, qui, cùm cognovisset, quòd turba ventura esset, ut illum Regem faciat, in montem fugit, & ita caput coronæ sibi destinatæ subduxit? Joann. cap. 6. sed quid JEsus noster ad ejusmodi falsissimas accusationes & mendacia palpabilia? qui coram Pontificibus Anna & Caipha in causa propria ad sui defensionem ne ullum protulit Verbum, etiam coram gentili Præside in eadem causa silere voluit, ita ut Pilatus (teste Evangelistâ) vehementer miraretur. Quoniam verò in ipso hujus processus limine maximam in Judæis invidiā, malitiā, & inveteratum odium, evidentissimam autem in Christo innocentiam pro ea, quâ

L, 3 pol-

pollebat, sagacitate perspicere facile potuit, noluit in hoc Judicio præpostorè procedere, sed negotium illud arduum per rectam juris viam justitiaeque tramites, auditâ utrâque parte, examinatum decidere proposuit. Proæresis & methodus procedendi omnium encomio dignissima, quam si Pilatus usque ad finem iniquissimæ hujus accusationis strictè observasset, illâ pluribus ex Christianis Judicibus, in tribunalibus, nec non in aulis Principum ministris ruborem incutere potuisset. Ut igitur eò liberiùs cum eo colloquium instituere, in eumque ritè inquirere possit, JESUM intra privatos accersivit parietes, & remotis arbitris tumultuantibus de

de negotio statum politicum,  
quietem publicam, & authorita-  
tem Cæsar is concernente scisci-  
tatus est, eum amicè interrogans:  
*Tûne es Rex Iudaorum?* O Pi-  
late! ánne dubitas, illum esse Re-  
gem Judæorum, qui est Rex Re-  
gum, & Dominus dominantium,  
a quo Cæsar Tiberius sceptrum  
suum accepit? sed noluit JEsus ad  
occisionem & mortem paratus in  
hoc extremo humilitatis statu po-  
tentiam suam exponere; rege-  
rit igitur. *Regnum suum non esse*  
*de hoc mundo;* ad quam respon-  
sionem Pilatus cum multis ex  
modernis politicis, vel potius  
Atheis, de Regno cœlesti, & quâ  
viâ ad illud pervenire liceat, pa-  
rum solitus, acquievit; omisso-

igitur negotio politico ulterius  
progreditur ac in vitam, mores  
& facta Christi inquirere incipit,  
dicens: *Quid fecisti?* innocen-  
tissimus Salvator noster ad hanc  
quæstionem exoticam ab inqui-  
rente propositam, sine prolixis  
oribus ambagibus respondere, &  
non tantum suam innocentia, &  
varia genti Judaicæ exhibita be-  
neficia, sed etiam accusatorum  
extremam malitiam evidentissi-  
mè exponere potuisset; quoniam  
verò Regius Vates in ipsius per-  
sona Ps. 38. præfatus est, *Ego tan-*  
*quam surdus non audiebam, &*  
*sicut mutus non aperiens os suum,*  
*factus sum sicut homo non au-*  
*diens, & non habens in ore suo*  
*re-*

redargutiones; sémet ad hanc quæstionem defendere noluit.

Sed, quid ego peccatorum insimus, filius iræ, ad hanc quæstionem cardinalem à Divina Majestate in summo tribunali mihi propositam: *Quid fecisti?* respondere potero? nullum fulmen ita oculos perstringere, nullum tonitru ita aures ferire poterit, quam quæstio illa (*Quid fecisti?*) animam meam penetrabit. Officium tuum, O peccator! secundum summam Decalogi fuit, Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex omnibus viribus diligere, proximum autem sicut te ipsum; an & quomodo hoc fecisti? Præceptum meum fuit inimicos tuos diligere; ipsis be-

nefacere; an & quomodò hoc fecisti? incubuit tibi, justè, sobriè, castè, vivere, declinare à malo, & bonum facere; sed responde mihi, quomodò hoc fecisti? volui, ut in egenos tanquam membra mea largas, pro facultatibus tibi concreditis, eroges eleemosynas; quomodò hoc fecisti? Siluisti, ô Jesus clementissime! ad hanc Pilati interrogationem, quia ad falsas Judæorum accusationes tanquam agnus mitissimus respondere, tuámque causam defendere noluisti, sed noli silere, quando iratus ob peccata mea Pater cœlestis à me rationem villicationis meæ efflagitat dicens: peccator, *Quid fecisti?* Ego sanè, qui servus inutilis totam vitam meam peccatis

catis numero innumeris conta-  
minavi, ne unum pro mille re-  
spondere, multò minùs causam  
meam perditam defendere pote-  
ro. Responde igitur, O fidelissi-  
me Advocate Jesu Christe, pro  
me, causam meam age, & pro in-  
finitis meis flagitiis infinitum Pa-  
ssionis & mortis tuæ pretium Pa-  
tri in solutionem offer, qui unicus  
inter Deum & hominem es me-  
diator, & sub hoc patrocinio  
ab auditione mala non timebo.

Amen.

Quinque Pater & Ave. Et in salutatio-  
ne Angelica post nomen IESUS :

Qui coram Pilato accusatus,  
siluit.



MY-

# MYSTERIUM PASSIONIS DOMINICÆ DECIMUM SEPTIMUM.

Meditatio pro decima septima  
die Mensis.

## XVII.

*Christus à Judæis Barabba post-  
ponitur.*

**A**Ccusationes à rabidis Judæis  
eorūmque senioribus ac scri-  
bis, tanquam furibundis instiga-  
toribus, contra Salvatorem no-  
strum, nullâ nec ratione nec fun-  
damento niti, sed planè frivolas  
esse, Judex ille circumspectus  
Pilatus facile reperire potuit.  
Ne igitur innocentem ad mor-  
tem condemnaret, satagebat qui-  
dem accusatum libertati pristinæ  
restituere, ita tamen, ut neque  
au-

authoritatem & dignitatem suam  
læderet, neque Judæos infensissi-  
mos Christi hostes, quorum na-  
tura & indoles jam tunc tempo-  
ris fuit, ad oppressionem fidelium,  
magnatum favores & patrocinia  
largissimis conciliare sibi muneri-  
bus, hac innocentissimi dimissio-  
ne offenderet ; fluctuans in om-  
nem partem, & incertus, cui ven-  
to vela daret, hoc excogitavit  
consilium : solennis apud Judæos  
in festo Paschatis erat observan-  
tia, ab eo tempore, quo Judaica  
gens à Romanis fuit subjugata,  
ita introducta, ut modernus Im-  
peratoris Præses ipsis unum ex  
reis, quos detinebat captivos, di-  
mitteret.

*Quoniam igitur eo tempore*  
Pi-

latus inter plures alios delinquen-  
tes unum in vinculis habebat no-  
mine Barabbam, *qui* ( secundūm  
Marcum) *in seditione commisit*  
*homicidium*, insimulque ( teste  
Joanne) *latro*, & quidem *insignis*  
fuit. Hunc mortis suppicio jam  
destinatum, homicidam publi-  
cum & seditiosum cum autho-  
re vitae, latronem insignem cum  
largissimo omnium bonorum  
donatore in theatrum produxit,  
& Judæorum optioni, cuiusnam  
ex his duobus in publicum con-  
spectum productis, dimissionem  
desiderent, reliquit, nullus dubi-  
tans, quin, ubi Judæi hunc Ba-  
rabbam hominem omnium faci-  
norosorum facinorosissimū pro-  
pter seditiones, homicidia, & la-  
tro-

Pro decima septima die Mensis. 175  
trocinia commissa omnibus invi-  
sum, & totius reipub. pestem vel  
aspexerint, illum ad mortis sup-  
plicium sint postulaturi. Gemi-  
næ in theatrum, ad Pilati jussum  
prodeunt personæ & diversæ  
conditionis prædones, unus pe-  
cuniarum latro, spolians homines  
facultatibus, alter animarum,  
Messias exspolians principatus &  
potestas, id est, dæmones; unus  
homicida, alter vitæ restaurator,  
unus ex Patre Diabolo, alter ex  
Patre Deo, Barabbas & Chri-  
stus; par hominum planè in-  
æquale. Pilatus Judæis satisfactu-  
rus, eorum turbam in præsentia  
productorum, his fere alloqui-  
tur verbis: Instat Paschatos fe-  
stum, O Judæi, in quo consue-  
tudinem introductam, & à me

meis-

meisque in officio antecessoribus  
quot annis observatam adimple-  
re paratus sum. Habetis hic  
duas personas vobis non ignotas,  
unus est Barabbas seditionis, ho-  
mocidii & latrocini reus, in quo  
non unam, sed plures mortis in-  
venio causas; alter est Christus,  
quem quidem mihi præsenti die  
tradidisti captivum & vincatum,  
deque variis accusare voluisti  
criminibus, instituto verò exami-  
mine nullam in ejus vita, factis, &  
moribus, mortis causam invenire  
potui, satisfeci hâc ratione officio  
meo, & observantiae inveteratae  
vestræ, jam vestra est optio, quem  
vultis vobis dimittam, Barab-  
bam vel IEsum? Attoniti & su-  
spensi ad hanc Pilati propositio-  
nem

nem erant, in cœlo Angeli, in  
orco dæmones, in terra Pilat-  
tus cum omnibus gentilibus.  
Quale autem Pilatus à Judæis ac-  
cepit responsum? forte dimissio-  
nem JESU efflagitant? non; forte  
Barabbam tot atrocissimorum  
criminum reum ad crucis patibu-  
lum deposcunt? non; forte tem-  
pus deliberandi à Pilato petunt?  
non; sed uno ore cum maxima  
indignatione & insania, tota ex-  
clamat turba. *Tolle hunc, & di-  
mitte nobis Barabbam.* O per-  
versa Synagoga! quam impia,  
præpostera & detestanda hæc est  
optio, cum pro redemptore tuo  
hunc omnium hominum pessi-  
mum pro Domino abjectissi-  
mum vermiculunt, pro Rege ho-

micidam & latronem insignem,  
pro innocentissimo tot flagitio-  
rum reum, elegisti, ô scelus ! ô op-  
probrium ! indignum quidem Pi-  
latus , quamuis gentilis, patravit  
facinus, JEsum cum hoc homine  
flagitosissimo comparando , cùm  
tamen illius innocentia , & poste-  
rioris perversa indeoles ipsi satis es-  
set perspecta ; sed longè pejus gens  
Judaica Deo quondam tam dile-  
cta commisit scelus, Messiam in-  
signi huic latroni abominabili hâc  
optione postponendo. Siccine  
O ingrata & barbara Synagoga !  
sponso tuo repudii libellum mit-  
tere, & ejus loco barbarum &  
infamem illum Barabbam in tha-  
lamî tui socium feligere potui-  
sti ?

Noscitur ex socio , qui non cognoscitur ex se.

Sed prô dolor ! similem Christiani , quam olim Judæi , ludunt fabulam , & circa electionem boni & mali in eundem offendunt lapidem. Divina Majestas pro benignitate sua libero mortalium arbitrio reliquit , an bonum vel malum eligere velit ; quâm turpiter autem hallucinamur in scientia illa , quæ omnium scientiarum princeps & primaria est , reprobare scilicet malum sive peccata , & eligerre bonum , vel virtutes Christianas , quâm ineptè erramus in hâc electione , dum præpostero voto postponimus præponenda , & præponimus postponenda ? quâm felix est Christianus , qui malum

à bono discernere , illud rejicere ,  
hoc verò eligere potest ! quis non  
magis deflet amissum aurum ,  
quàm cœlum , & tamen minore est  
comparatio inter aurum & cœ-  
lum , quàm inter aurum & cœ-  
num . Quis non malit pati jactu-  
ram divinæ gratiæ , quàm pecu-  
niæ , vel naturalium bonorum , &  
tamen major est jactura ejusmodi  
gratiæ , quàm omnium bonorum ,  
quæ sunt , vel fortunæ , vel natu-  
ræ . Quis non præfert inomen-  
taneum , quod est æternitati , mo-  
mentum voluptatis mundanæ æ-  
ternitatis omnis felicitati . Quis  
tanto labore , & industriâ studet  
acquirendis virtutibus Christia-  
nis , quanto acquirendis scientiis .  
Quàm multi præferunt siliquas  
por-

porcorum pani Angelorum ! quis  
tantum facit pro sua æterna salu-  
te, quantum pro obtainendo ali-  
quo officio, honore, vel divitiis ?  
dic mihi, O peccator ! nónne hoc  
paecto malum pro bono eligis, &  
Christum Barabbæ postponis ? qui  
enim peccatum committit , vel  
tantum mundana æternæ felici-  
tati, animæque saluti præfert, Bar-  
rabbam Christo postponit , quia  
peccatum est animæ aversio &  
conversio, aversio à Creatore, con-  
versio ad creaturam ; aversio à  
virtutibus, conversio ad vitia ; ab  
illis avertere , ad hæc se converte-  
re , quid aliud est, quàm Christum  
Barabbæ postponere. Rectè ex-  
clamat Jeremias cap. 2. obstupe-  
scite cœli super hoc, & porcæ ejus

desolamini vehementer, duo enim  
mala fecit populus meus, me de-  
reliquerunt fontem aquæ vivæ  
(ecce hic aversio) & foderunt si-  
bi cisternas dissipatas, quæ conti-  
nere, non valent aquas (ecce con-  
versio.)

O Domine JESU Christe! fons  
aquæ vivæ, & sumum bonum!  
ego sum ille, qui hactenus turbâ  
Judaicâ pejor circa electionem  
boni, & reprobationem mali, tam  
turpiter erravi υτερον, περιτερον,  
commisi, minima maximis, vilif-  
sima pretiosissimis, momentane-  
am, spurcam, vilem voluptatem æ-  
ternæ felicitati, cisternas dissipatas  
fonti aquæ, vivæ extremum ma-  
lum sumo bono, Barabbam Chri-  
sto per totum fere vitæ meæ tam  
malè

malè transactæ spatiū præposui.  
Relicto igitur hoc mundo, omni-  
būsque ejus illecebris citò peritū-  
ris ad te verâ cordis contritione  
me convertam, & omnia peccata  
reprobando, te summum bonum,  
& restauratorem vitæ eligam, tu  
mihi in arduo hoc negotio gratiâ  
tuâ assistere velis, ut dum cœlum,  
& in illo æternam felicitatem a-  
spicio, terra mihi cum omnibus  
voluptatibus fordeat. Amen.

Homo Dei Creatura, cur, in car-  
ne moritura,

Est tam parva tibi cura pro æ-  
terna gloria.

Illa quanta sit, si scires, præter eam  
nil sentires,

Nec mundana sic ambires vanâ  
transitoria.

Et si poenias infernales agnovisses,  
quæ & quales

Tuos utique carnales appetitus  
frangeres.

Hic innumera peccata, dicta, facta,  
cogitata,

Mente totâ consternata meri-  
tò deplangeres.

Nos prudenter nunc agamus, san-  
ctam vitam eligamus,  
In hoc mundo desfleamus mala,  
quæ peregimus.

Non vivamus ut jumenta, ne post  
mortem ad tormenta  
Veniamus, & lamenta intole-  
rabilia.

Modò veniam precemur, mor-  
tem Christi meditemur  
Ad superna præparemur desi-  
derabilia.

Quin-

Pro decima octava die Mensis. 185

Quinque Pater & Ave. Et in salutatio-  
Angelica post nomen IESU:

Qui Barabbæ post positus est.

---

MYSTERIUM  
PASSIONIS DOMINICÆ  
DECIMUM OCTAVUM.

Meditatio pro decima octava  
die Mensis.

XVIII.

*Christus à Judeis ad mortem de-  
poscitur.*

TAM impia, & detestanda po-  
puli Judaici inter Christum  
& Barabbam fuit electio, ut etiam  
Pilatus, quamvis gentili addictus  
superstitioni insignem hujus po-  
stulati iniquitatem confessim ap-  
prehenderit, & cum magna indi-  
gnatione Judæos furibundos in-  
terrogaverit, *quid igitur faciam*

cum *JEsu*? Si Barabbam publicum illum homicidam, & insig-  
nem latronem ad vestram instan-  
tiam dimisero, ut pejora post li-  
berationem patrare possit facino-  
ra, & vita & facultatibus vestris  
novas struere insidias, *quid igitur*  
*faciam cum JEsu?* in cuius per-  
sona & vita peracta ne mini-  
mam invenire potui causam, ut  
illum huic pessimo nebuloni post-  
ponam, & ad mortem condem-  
nem. Judæi tanquam canes la-  
trantes, lupi ululantes, & rugien-  
tes leones eum, quem Pilati ma-  
nibus traditum dentibus discerpe-  
re, & laniare non potuerunt, vo-  
cibus enecare satagunt. Repe-  
tunt igitur ferale illud Tolle, in-  
simulque mortis genus addunt, te-  
stibus

stibus Evangelistis, uno ore exclamantes, *Tolle, Tolle, crucifige eum.* Ait illis Praeses, quid enim mali fecit, nullam causam mortis invenio in eo, corripiam ergo illum, *E* dimittam, at illi instabant vocibus magnis, postulantes, ut ille crucifigeretur. Merito conquetus est Salvator noster de gente hac vesana imò ingratissima, per Vatem Isaiam cap. i. *Filios enutri- vi, E* exaltavi, ipsi autem spreverunt me. Intelligitis etiam, O impij Judæi! qualis sit, quem magnis vocibus desideratis, ut Pilatus tollat. Illum, qui tollit peccata mundi, illum, vultis, ut tollat, qui descendit de coelo, assumpsit humanam naturam, ut genus humanum passione, & morte suâ

Patri

Patri offenso reconciliaret, ab æternâ morte liberaret, pretiosissimo suo corpore, & sanguine enutriret, & ad cœlestia regna exaltaret, illum efflagitatis, ut Pilatus tollat, & ignominioso affigat ligno, qui Majores vestros ex servitute Pharaonis liberavit, per mare rubrum, hoc cum toto exercitu submerso, deduxit, manna de cœlo illos nutrit, & ad terram sanctam exaltavit, & hunc, ut Pilatus tollat, non tantum cum magnis vocibus, & extremo vilipendio postulatis, sed etiam ad mortis crucem deposcitis? O iniquum iudicium (rectè hic exclamat Divus Anselmus) bonus despicitur, & malus præponitur, justus punitur, & peccator liberatur, agnus occiditur,

ditur, Et lupus acceptatur, vita  
deseritur, Et mors reservatur.

Quid igitur faciam cum IESU, Pilatus interrogat Judæos? pro quām inepta & exotica hæc est tanti judicis, Cæsaris vices tenentis in Judæa, quæstio? dubitásne, O Pilate! quid cum IESU facias, factore coeli & terræ? nescis, quid cum illo facias, qui te ex nihilo fecit, animam rationalem tibi dedit, tam innumeris te cumulavit beneficiis, & jam in procinctu est, totum mundum ab inferno sanguine & morte suâ redimere. Sed ignoscamus hanc interrogacionem Præsidi Romanorum, qui quidem tanquam judex circumspectus & sagax in Christi causa innocentiam, in persona autem ejus

ejus divinam naturam sub huma-  
na latitantem , ut Ethnicus non a-  
gnovit , sed ut purum hominem  
aspexit . Nos Christiani , qui JE-  
sus consubstantialem Patri , De-  
um verum de Deo vero , lumen  
de lumine in fide nostra Catholi-  
ca agnoscimus , & profitemur , ex  
hac Pilati quæstione , licet insulsâ sal  
sapientiæ elicere , illam in succum ,  
& sanguinem convertere , ad pra-  
xim vitæ nostræ applicare , & se-  
cundùm illam , conscientiam no-  
stram ritè examinare possumus .

Dic mihi quæso , O Christiane !  
qui eam , quam pro forma ore con-  
fiteris veram fidem , vitâ & mo-  
ribus abnegas , quid hactenus fe-  
cisti , vel potius imposterum facies  
de JEsu ? Responde mihi ad hanc  
quæstio-

quæstionem, ô perverse Politice ? quid facies de JESU ? ejus faciem impiis technis, pessimis consiliis, simulationibus, & dissimulationibus quotidie velabo. Responde mihi, ô Pseudo - Catholice ! quid facies de JESU ? hæreticis assistendo, ejus Sponsam omnibus modis persequar. Quid facies de JESU, injuste Judex & impie causidice ? ipsum in oppressis orphanis, vinduis & egenis quotidie nudabo. Responde, ô Avare ! quid facies de JESU ? quem semel Judas pro 30. argenteis vendidit, toto die tribus obulis prodam. Quid facies de JESU ? Iracunde ! colaphis eum cædam. Quid facies cum JESU, ô Calumniator ! in faciem ejus expuam. Responde, Impudice, &

Luxu-

Luxuriose, quid facies de JESU ?  
illum à planta pedis usque ad ver-  
ticem capitis iterum flagellabo.  
Quid facies cum JESU, ô Ebrioſe ?  
felle & aceto eum potabo. Quid  
tu, ô superbe ? coronam spineam  
eius capiti imponam. Denique  
quid tu, ô peccator ! cum JESU fa-  
cies ? rursus crucifigam & morti-  
tradam. Hæc quidem sunt non  
responſa, sed facta nostra, quæ o-  
re profiteri meritò erubescimus.

O Domine JESU Christe ! feci-  
ſti omnia propter me perditum  
peccatorem, quæ facere pro mea  
ſalute potuisti, ego verò de om-  
nibus, quæ fieri præcepisti, nihil  
feci, sed potius totam vitam me-  
am concatenatis contaminavi sce-  
leribus. Quid igitur tecum, quem  
millies

millies hactenus offendii, imposterum faciam? Scio, quid faciam, desideras à me, quasi bonorum meorum indigens, ut tibi cor meum præbeam, dicens: da mihi cor tuum. At vecors, imò excors sim, si fine alio imposterum cor meum, vel potius tuum habere velim, quàm ut eo toto te totum diligam in omnibus, & super omnia, qui es summa mea felicitas, prium principium, & ultimus finis, ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia. Quid me ergo juvet esse intellectu præditum, nisi ut te cognoscam, voluntate instructum, nisi ut te diligam, donatum memoriā, nisi ut tui semper reminiscar, nunquam obliviscar. O cur non habeo tan-

N

tum

YM

tum amoris, quantum Spiritus Seraphici, & omnes Cœlites. O utinam haberem tot corda, quot sunt in coelo stellæ, in igne scintillæ, in aëre atomi, in mari guttæ, in terra pulveres, ut omnibus illis te possem amare super omnia, qui dignus es amari nunc & in æternum super omnia. Amen.

*Quinque Pater & Ave. Et in salutatione Angelica post women JESus :*

*Qui à Judæis ad mortem deposcitur.*



MY-

# MYSTERIUM PASSIONIS DOMINICÆ DECIMUM NONUM.

Meditatio pro decima nona die  
Mensis.

## XIX.

*Christus ab Herode in vestibus al-  
bis illuditur.*

**Q**uemadmodum Redemptor noster tempore nocturno duos sacros, vel potius sacrilegos habuit in Anna & Caipha Judices, ita duos etiam profanos in sequenti die voluit habere judices, vel potius innocentiae suæ testes. Iudei enim, dum JEsum coram Pilato accusant, de Galilæa mentionem faciunt: quo nomine auditio Pilatus consilium ex arena capit,

N 2

&

& teste Luca cap. 25. v. 7. Judæos interrogat, an homo Galilæus sit, & ut cognovit, quod de Herodis potestate esset, remisit eum ad Herodem diebus paschalibus Jerosolymæ præsentem. Non ingrata hæc fori & judicis mutatio Judæis fuit, quoniam hic spes magna a fulgebat Christi crucifigendi, & credebant, se facilius mortem Christi ab Herode imperfectore Joannis Baptistæ, & ita propter crudelitatem jam tum infami filio Herodis infanticidæ impetraturos, quam à Pilato, qui judex æquus, si non esse, tamen ita videri voluit, & innocentissimum JESUM, si absque accusantium offensione fieri potuisset, dimittere omni modo laboravit. Deducunt igitur

igitur Judæi Christum funibus & catenis vincitum magno cùm tumultu ex prætorio Pilati per plateas publicas ad palatium Herodis , sperantes , fore , ut hic judex Pilato pejor decreto in Conciliabulo Seniorum & Scribarum concluso calculum suum adjiciat , in Christi mortem consentiat , ejusque executionem apud Pilatum urgeat . Simul ac igitur Herodes percepit , JEsum , de quo jam antehac mira ipsi enarrata erant , ædibus suis cum Judæorum turba appropinquare , & à Romanorum Præside inimico olim suo missum esse , gavisus est , & quidem , ut Evangelista nos docet , *gavisus est valde* . Nec mirum , gavisus enim est Joannes Baptista adhuc in ute-

ro matris latens, ad adventum Be-  
atissimæ Virginis Mariæ, Jesulum  
in utero gestantis, agnovit ejus  
præsentiam, & exultavit in gau-  
dio, antequam Salvatorem vidi.  
Gavisi sunt pastores Bethlehemiti-  
cici nativitatem Messiæ ab Ange-  
lo, hoc gaudium magnum evan-  
gelizante audientes, antequam  
puerum recens natum in præse-  
pio viderunt. Gavisi sunt Magi  
ex Oriente venientes gaudio ma-  
gno, ad nudam stellæ, quæ ad Je-  
sum eos ducebat, visionem. Ga-  
visus est gaudio magno Zachæus  
ad adventum JESU; quid ni igitur  
Herodes Christum in ædibus suis  
præsentem videns gavisus est val-  
de. O Herodes! si scivisses donum  
Dei, & agnovisses, qualis hic, qui  
ædes

ædes tuas ingressurus est, ex vero  
& puro motivo gavisus fuisses.  
Non dispicebat Judæis hoc gau-  
dium in vultu Herodis aliàs tru-  
culento observatum, adducunt i-  
gitur JESUM, & rigoroso judicis  
impij examini præsentem fistunt.  
Aspicit Herodes Christum, quem  
videre jam diu optaverat vultu ad  
superbiā composito, interro-  
gans ipsum, & quidem secundūm  
textum evangelicum *multis ser-  
monibus.* Instat, ut respondeat,  
urget, ut loquatur, allegat mag-  
nam, quâ in Judæa pollebat, au-  
thoritatem, insimûlque interces-  
sionem apud Pilatum hâc missio-  
ne reconciliatum offert, ut ad in-  
terlocutionem illum disponat,  
blanditur variis verborum leno-  
ciniis,

ciniis, ut vel unicum tantum ex ore illius eliciat verbum , & novum videre possit miraculum, sed frustra: Jesus enim illi nihil respondebat. Judæi cum Senioribus & Scribis hoc Christi silentium in pessimam interpretantur partem, ideoque constanter illum accusant, variaque eum in finem agglomerant crimina , ut Herodem ad hoc silentium attonitum in suas trahant partes , & ratione mortis decretæ consensum ab ipso impetrent ; sed quid ad has falsissimas accusationes mitissimus JESUS ? nihil omnino respondit: malevoli Judæi omnem in illum exspuunt bilem, Christus illam suscipit ; de variis illum accusant, nihil loquitur; scelera multa

ta exprobrant, audit maximâ cùm patientiâ , nec pro causæ suæ de- fensione ullum profert verbum. Quid? mitissimè JESU , nónne tibi trita illa regula in mentem incurrit, qui tacet, præsertim in judi- cio , consentire videtur ? vide igi- tur; quid agas, eo ipso enim, quòd crima objecta non negas, te eo- rum reum esse probas, & illa taci- tè confiteris. Nónne expendis , illos, qui te accusant, esse viros a- pud gentem Judaicam magnâ di- gnitate conspicuos , authoritate pollentes , & omni fide dignos , nihilominus taces ? nónne ob- servas, quàm ingentia convitio- rum plastra in te exonerent , & nihilominus taces, & hoc silentio sinistram apud omnes præsentes

inimicos tuos de causa concilias  
opiniones? sed noluit loqui inno-  
centissimus JESus, ad vincula, fla-  
gella, & mortem paratus, quia ne-  
que tempus, neque locus erat lo-  
quendi. Herodes hoc Christi si-  
lentium in suum, ut opinatus est,  
vergens vilipendium ægerrimè  
tulit; ideoque cum toto suo exer-  
citu sprevit, veste alba indutum,  
tanquam stultum illusit, & ad Pi-  
latum remisit: prò quantas inno-  
centissimus Jesus in ædibus Hero-  
dianis post hoc silentium ab ejus  
exercitu, satellitibus & reliquis  
domesticis applaudentibus Judæ-  
orum Senioribus, & reliquâ turbâ  
perpessus est contumelias, dum  
hi nebulones varia scommata,  
dictoria, opprobria plenis buccis,  
in

in eum tanquam bardum , stultum fanaticum mentis non compotem, effundunt, illūmque ad Pilati prætorium magno cùm tumultu per publica civitatis compita reducunt. Valde gavisus es Herodes, ut Jesum vidisti, cur igitur cùm Joanne Baptista maximo cùm gaudio non exultâsti, & cum pastoribus Bethlehemiticis , nec non Magis ad pedes ejus provolutus non adorâsti, & munera tua, cor scilicet contritum & humiliatum donum Deo ex omnibus gratissimum obtulisti ? Gavisus es valde, O Herodes : quoniam tamen illud gaudium non ex vera fide, vel alio motivo laudabili, sed vanâ profectum est curiositate in æternum tuum mutatum est ejulatum.

latum. Reliquit Helluo tantum  
quinque post se fratres, tu, ô He-  
rodes! longè plures post infelicem  
obitum, imò numero innumeros  
reliquisti fratres, qui Jesum qui-  
dem præsentem in Missæ sacrifi-  
cio, & SS. Eucharistiaæ Sacramen-  
to cernunt, nihilominus illum ve-  
ste alba hâc indutum variis illu-  
dunt modis. Vident cum Judæis  
Acatholici nostri Jesum sub specie  
panis albi præsentem, candido in-  
clusum orbe, vident quidem, sed  
oculis Herodianis aspiciunt, varias  
in illum cum Herode ejusque ex-  
eritu exspuunt contumelias, imò  
si copia hujus sanctissimi Sacra-  
menti ipsis datur, illud Herode  
longè pejores pedibus concul-  
cant, & canibus objiciunt, Vi-  
dent

dent multi Catholici Jesum in altaribus sub veste candida , elevatum & expositum , vident non tantum , sed etiam ejus præsentiam ore profitentur , debitam autem reverentiam & adorationem illi non exhibent , immo varia in illius præsentia patrant scurrilia , & ita Jesum præsentem cum Herode illudunt . Absit extrema hæc impietas , & contemptus hujus sanctissimi Sacramenti , ab omni Christiano verè Catholico .

Dixisti , O dulcissime JESU ! hæc est voluntas Patris mei , ut omnis , qui videt filium suum , & credit in eum , habeat vitam æternam . O Verba plenissima gaudij & solatij pro quolibet pio Catholico . Videmus te filium Dei in a-

ris

ris nostris quotidie, licet tantum  
per speculum in ænigmate, vide-  
mus te stantem post parietem, per-  
spicientem per cancellos, & vel sic  
videndo credimus, te esse Chri-  
stum Filium Dei vivi præsentem,  
credimus hunc fidei Catholicæ ar-  
ticulum, quia omnia per te facta  
sunt, & sine te factum est nihil, &  
ideo credimus, quia tu unigenitus  
filius ex sinu Patris ipse enarrâsti,  
ipse, qui es veritas, dixisti.

Si ergo omnis, qui videt filium  
Dei, & credit in eum, debet ha-  
bere vitam æternam, quid super-  
est, nisi ut illam per te speremus,  
& propter te exspectemus. Hæc  
est enim voluntas Patris, & quia  
eadem est voluntas tua, fiat volun-  
tas tua sicut Patris, tunc nos certò  
manet

manet vita æterna, quam Pater o-  
mnibus, qui te vident, & in te  
credunt, promisit. Hoc credo, hoc  
spero, & pro hac veritate Catho-  
lica, efflagitante necessitate, tuæ  
gratiæ assistentiâ, in carcerem &  
mortem ire, eumque fidei articu-  
lum sanguine meo subscribere pa-  
ratus ; dico cum Petro, tu es fi-  
lius Dei vivi, & ut talem in Mis-  
sa, & sanctissimo Altaris Sacra-  
mento in genua procumbens te  
adoro. Amen.

*Quinque Pater & Ave. Et in salutatio-  
ne Angelica post nomen IESUS:*

*Qui ab Herode in vestibus al-  
bis illatus est.*

MYSTERIUM  
PASSIONIS DOMINICÆ  
VIGESIMUM.

Meditatio pro vigesima die  
Mensis.

XX.

*Christus pro nobis flagellatur.*

Dominum nostrum JESUM  
Christum verum se Pacis  
Principem esse, in ædibus Herodiani  
ostendere voluit; quippe,  
qui vix eas ingressus, animos Pi-  
lati & Herodis inimicorum quon-  
dam infensissimorum non proli-  
xis orationibus, argumentisque  
stringentibus, sed nudâ suâ præ-  
sentia, & silentio ita conciliavit,  
ut, qui olim sémet invicem extre-  
mis

mis prosecuti sunt odiis , ex hoc  
momento in pristinam redierint  
gratiam. Remisit ergo Herodes  
Jesum vincatum , & vestibus albis  
illusum Romano Præsidi , eique  
addidit nuncium , per quem con-  
testatus est , se nullam in hoc ho-  
mine abjecto , & simplice mortis  
causam invenisse , potius ejus in-  
nocentiam ex continuo silentio  
collegisse . Hactenus Pilatus , ut  
Jesum innocentissimum à poena  
mortis in Seniorum & Scribarum  
concilio decretâ liberare posset ,  
nullum non movit lapidem , variá-  
que eum in finem excogitavit  
confilia & remedia , quoniam ve-  
rò nullum ex voto succedere vo-  
luit , turbæ Judaicæ Christum ad  
mortem postulantis , vociferatio-

O nibus

nibus compulsus & victus Christum intra prætorium revocat, cùmque in secreto his, vel id genus aliis alloquitur verbis. Auditisti, ô mortalium infelicissime ! quanto cùm zelo innocentiam tuam ex eo, quo eam cognovi, tempore contra Judæos malevolos defenderim, & deposito judicis officio , advocati quasi vices in me susceperim. Quanto autem hæc impia, & furiosa turba odio tui ardeat, tibi in confessio est, omnes enim tuum sanguinem, omnes te ad crucis mortem, clamando : tolle tolle, crucifige illum, uno ore postulant ; satisfaciendum est aliquo modo hisce nebulonibus sanguinolentis, ne præsentes eorum motus in publicam

blicam tandem degenerent seditionem. Præpara te ad flagella , quibus te quamvis innocentem necessitate coactus , deficientibus aliis liberandi mediis subjicere decrevi. Durum quidem & ignominiosum ( fateor lubenter ) hoc supplicij genus est , sed quoniam secundum tritam illam regulam ex duobus malis, quod minimum, eligendum est, præstat ad columnam flagellari,quām in cruce mori, te flagellatum libertati pristinæ restituere , & dimittere facile possum , in cruce autem extinctum vitæ restituere mihi planè impossibile est, patere igitur æquo animo , quod neque æquitas , neque justitia, præsens tamen rerum necessitas , & magnus ille tumultus,

quem hostes tui infensissimi in tui  
perniciem excitârunt , efflagitat ,  
cogor in te esse pro forma severus ,  
& in corpus tuum videri crude-  
lis , ut re ipsâ sim benignus , & de  
vitæ tuæ incolumitate solicitus .  
Hæc fuit feralis illa oratio , quam  
Pilatus ad Christum sub clemen-  
tiæ specie habuit , sub qua tamen  
summa latet inclemensia , & inju-  
stitia . Dic mihi , ô iniquissime  
judex ! quomodo extremam hanc  
crudelitatem contra reum præ-  
sentem decretam coram Cæsare  
Tiberio , quamvis Tyranno , vel  
quod adhuc majus est , coram di-  
vino judicio defendere tandem  
poteris . Ethnicus inquis sum ,  
ideoque Christum mihi à Judæis  
adductum , esse verum Messiam ,

&amp; to-

& totius mundi redemptorem  
nunquam credidi; concedo tibi,  
ut gentili, hoc effugium; sit ita, te  
Christum ut merum aspexisse ho-  
minem, sed nonne eundem ut vi-  
rum justum agnovisti & nonne  
eum innocentem esse coram toto  
populo Judaico publicè professus  
es & concredidit tibi Cæsar Tibe-  
rius summum in Judæa Tribunal,  
quod officium legum peritiam  
non mediocrem aut vulgarem ef-  
flagitat; Responde autem mihi in  
quanam lege XII. Tabularum,  
quæ tunc temporis maximæ in  
Republica Romana fuerunt au-  
thoritatis, sancitum est, ut Judex  
accusatum, de cuius innocentia,  
& extrema inimicorum accusan-  
tium malitia ipsi ex præmissâ in-

quisitione satis constat , propter  
merum respectum humanum fla-  
gellare, & ejusmodi poenam, mor-  
tis suppicio proximam , imò ei-  
dem ferè æquiparatam contra vi-  
rum justum & innocentem , nul-  
lisque flagitiis obnoxium decer-  
nere possit ? itáne fas tibi fuit , ne  
offendas Judæum , Deum hâc in-  
justitiâ & crudelitate offendere .  
Sed quid prodest pro innocentia  
Salvatoris cum Pilato altercari ,  
qui jam per tot sæcula flamas  
expertus est infernales , ex quibus  
nulla est redemptio , & in Pilato  
damnato correctio locum non  
habet . *Tunc* , finitâ , scilicet hâc  
concione tristi , *Pilatus* , teste E-  
vangelico textu ; apprehendit Je-  
sus , & flagellavit . Non potuit  
Evan-

Evangelista præ maximo animi  
mœrore omnes hujus crudelitatis  
circumstantias prolixè describe-  
re, unico igitur illo verbo: *Fla-  
gellauit*, funestissimum illud spe-  
ctaculum succinctè comprehen-  
dere voluit, singultibus reliquas  
voces supprimenteribus. Vix mi-  
lites Romani hoc flagellationis de-  
cretum ex ore Pilati bibulis acce-  
perunt auribus, & ecce sex ex il-  
lis lacertosí nebulones (uti hunc  
numerum ex antiquitate & tra-  
ditione notavit S. Hieronymus)  
viri sanguinum ad illum effunden-  
dum veloces, & à Judæis ad instan-  
tem carnificinam largis condu-  
cti pretiis ex cohorte profiliunt,  
JESU ad flagella quamvis parato,  
violentas injiciunt manus, eum-

que in atrium, huic executioni  
locum destinatum, deducunt,  
crudelissima flagellationis instru-  
menta, virgas scilicet inundatas,  
funes, nodulos, flagella hamata,  
spinas aculeatas, ac catenas un-  
cinatas expedient, & feralem  
hunc apparatus ejus oculis, ut  
ipsi eò majorem incuterent hor-  
rorem, exponunt. Quo facto,  
funes, quibus ligatus fuit Agnus  
innocens, solvunt, eum omnibus  
spoliant vestibus, quarum vel sim-  
briam tetigisse salus fuit tangen-  
tium, cum castissimo Ecclesiæ  
sponso planè denudato ad colum-  
nam properant, ad eamque col-  
lo, manibus, pedibus, & toto cor-  
pore tam arctè ligant, ut nec uni-  
cum membrum durante hoc sup-

plicio

plicio quam crudelissimo movere potuerit. Accedunt duo ex his sex militibus, & initium flagellationis (teste laudato Hieronymo) faciunt, vulnera vulneribus addendo ; quibus defessis duo proximi accedunt, & priora vulnera novis cumulant ; tandem duo reliqui huic flagellationi ultimam imponunt manum, & catenis uncinatis carnem & pellem planè avellunt, ac ita hi sex nebulones humani corporis compagem & speciem ictibus velut super incudem geminatis, quantum illis licuit, ita destruxerunt, ut nec sanguinem in venis, nec in nervis integratatem, nec in membris robur, nec in artibus nexum reliquerint, & speciosus quondam

O 5

formâ

†

formâ præ filiis hominum cum  
Vate Regio Psal. 21. Verè exclamare potuerit : *Ego autem sum  
vermis, & non homo.* Et cùm  
eodem Psal. 58. *Non est sanitas in  
carne mea.* Maximi profectò  
momenti causa fuit, ut quasi reus  
vinciatur omnipotens , puniatur  
innocens, confundatur Majestas,  
difformetur gloria , flagelletur  
Deus, percutiatur filius unigenitus.  
Scire igitur vis, ô peccator!  
causam horum tormentorum,  
quorum immensam crudelitatem  
facilius fide catholicâ credere,  
quàm humano intellectu assequi  
poteris ? audi quæso verba Patris  
coelestis ad vindictam per pecca-  
ta nostra provocati , per Isaiam  
cap. 53. v. 8. prolata , arrige aures,  
& ob-

& obstupescet: propter scelera populi mei percutisti eum; habes hic causam flagellationis; non igitur Praeses Romanus, non ejus milites, sed peccata tua Filium Dei unigenitum percutserunt, & ad columnam flagellaverunt. Quotiescunque enim, ô homo, mortaliter peccasti, toties Jesum tuum percutisti; quotiescunque eadem peccata renovas, vel imposterum committes, toties Jesum de novo percutis; tua igitur peccata tam commissa, quam futura, hujus percussionis causa sunt. Quamvis autem haec se ita habeant, ac Pater filium suum propter peccata tua percutserit, noli tamen de salute tua desperare; potius finem hujus percussionis recte perpende. Sic enim

enim Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, eumque propter scelera sui populi percuteret, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Finis hujus percussionis igitur est, ut non pereas, sed credendo in eum, habeas vitam æternam, eamque per hanc percussionem consequaris. Percussit Pater cœlestis filium suum propter peccata non propria, sed aliena, scilicet populi sui, percuteris pectus tuum propter flagitia non aliena, sed tua; percussisti haec tenus Jesum peccatis tuis, percutere jam pectus tuum tot contaminatum criminibus, percutere illud non ex mera consuetudine, sed ex vero corde contrito & humiliato.

miliato. Profudit innocentissimus Jesus ad columnam sanguinem suum, ex omnibus Venis, & quidem propter peccata tua, profunde propter eadem ex oculis tuis unam vel alteram lachrymam, projice te ad pedes Redemptoris tui, columnæ flagellatoriæ alligatos, aspice ibi tam immania vulnera in percusso pectori undique hiantia, elice ex corde tuo de peccatis commissis verum dolorem, exclama & suspira, O JESU! sanguis tuus ad columnam largissimè, & instar imbris profusus, quémque non tam flagellantum furor, quam potius immensus tuus erga genus humaanum amor ex venis tuis expressit, sit super me & animam meam, amplius

amplius amplius lava me ab ini-  
quitate mea , & à peccatis meis  
munda me:

Pie Pelicane JESu Domine,  
Me immundum munda tuo  
sanguine,  
Cujus una stilla salvum facere:  
Mundum potest omni scelere.  
Amen.

*Quinque Pater & Ave. Et in salutatione  
Angelica post nomen JESUS :*

*Qui pro nobis flagellatus est.*



MY-

MYSTERIUM  
PASSIONIS DOMINICÆ  
VIGESIMUM PRIMUM.

Meditatio pro vigesima prima  
die Mensis.

XXI.

*Christus spinis coronatur & illu-  
ditur.*

**Q**UAM verè Redemptor noster  
nocte præcedente in horto  
Gethsemani prædixerit: hæc est  
hora vestra, & potestas tenebra-  
rum, sex illi milites crudelissimi  
tanquam tenebrarum filij durante  
in prætorio Pilati flagellatione no-  
bis satis probârunt, ita ut sint ex  
SS. Patribus, qui statuunt, dæmo-  
nes in flagellantium militum cor-  
pora, & omnia membra, ut in  
denuda-

denudatum Christi corpus eò  
atrocitùs sèvirent, insiluisse , eis-  
qué hunc in finem maiores dedis-  
se vires, atque adeò singulos ex il-  
lis carnificibus à malignis spiriti-  
bus fuisse obsessos , qui tanquam  
nervosi & lacertosi nebulones in-  
tegri, fatigatis succedentes corpus  
Domini tam immitissimè flagel-  
lárunt, ut sanguis undique deflue-  
ret, imò secundùm sententiam  
divi Bernhardi tractat. de Passio-  
ne cap. 3. *In aëra resultaret.* Fi-  
nito hoc crudelissimo supplicio  
pendebat ex columna flagellato-  
ria innocentissimus Jesus imbel-  
lis, infirmus, miserabilis, flagris &  
catenis contritus, alapis & plagis  
contusus, pugnis lividus , sputis  
deformatus semimortuus , cada-  
veri

veri excoriato, quam homini vivo similius, & commiseratione, quam ulteriori afflictione dignior. Non contenti autem solâ hâc flagellatione, vel excoriatione potius, nebulones illi & diaboli incarnati de novis tormentis aliisque contumeliis, dæmonum instinctu, flagellato infligendis, sunt solliciti ; & quoniam ipsis ex tenore accusationis à Judæis Præsidi Romano propositæ adhuc in recenti erat memoria, quod JESUS dixisset, se Regem esse Judæorum, conveniens esse statuunt, ludicum hunc Regem in ferali theatro more ludicro tractare, illum ut Regem coronare, purpurâ vestire, sceptrum regium manibus ejus tradere, & regium honorem

ipsi flexis genibus exhibere. Prolixiores Evangelistæ Matth. 26. & Joan. cap. 19. in descriptione coronationis, quām flagellationis fuerunt ; ita enim loquuntur ; *E* milites Praesidii suscipientes Jesum in prætorio , congregaverunt ad eum universam cohortem , *E* exuentes chlamydem coccineam circumdederunt ei , plectentes coronam de spinis imposuerunt capiti ejus , *E* veste purpureâ circumdederunt eum, *E* posuerunt arundinem in dextera ejus, *E* genuflexo ante eum , illudebant ei , dicentes : salve Rex Iudaorum , *E* exstinentes in eum , acceperunt arundinem , *E* percutiebant caput ejus. Quot verba , tot mysteria fidei , & divini amoris documenta , q  
um , quo in minicæ re perpendere imo per or satis expli pro præse coronatio illusionem , ab impudo ntionibus , e igitur licet sepsi , furio si , immian immenso i tillimum ag gis , flagellis cilium ieru dibrium re in Iudaico

cumenta, quæ omnia secundùm  
eum, quo in historia Passionis Do-  
minicæ recitantur, ordinem ritè  
perpendere, dies non sufficeret,  
imò per omnia ætatum curricula  
satis explicari nequeunt. Mihi  
pro præsenti temporis momento  
coronationem eique adjunctam  
illusionem, quam Salvator noster  
ab impudoratis perpeslus est san-  
nionibus, eligere sufficiet. Irruunt  
igitur lictores à dæmonibus ob-  
sessi, furore accensi, rabie effera-  
ti, immanitate truculenti, & odio  
immenso inflammati in innocen-  
tissimum agnum, ejus corpus vir-  
gis, flagellis, ac catenis planè con-  
cisum iterum denudant, ei in lu-  
dibrium regiæ dignitatis, quam  
in Judæos secundùm eorum ac-

cusationem prætendit , chlamydem coccineam circumdant , coronam aculeatam , & pungentibus vepribus horridam plectunt , eamque loco diadematis regij vertici Christi non leviter impo- nunt , sed arundine arreptâ , & chirothecis ferreis tantâ impri- munt crudelitate , ut durum hoc tormentum duram non tantum , sed piam etiam matrem cum to- to cerebro penetraverit , & ejus- modi cruciatus omnem superent fidem . Extremis hisce doloribus addunt pudorem , ejus manus lo- co sceptri regij fragili arundine , humerisque lacero murice or- nantes , & ne quid ad illius oppro- brium deesset , variis ei fannis il- ludunt , in faciem exspuunt , ca-

put

put spinis coronatum arundine  
percutiunt, flexo genu eum, co-  
ram quo omne genu flectitur, per  
merum ludibriū adorant, eum-  
que Regem Judæorum declarant,  
cum scommate exclamantes: ave  
Rex Judæorum. O tristissimum  
spectaculum! ad quod mirum est,  
totum universum in nihilum non  
esse redactum. Tuum est, ô Chri-  
stiane! ut circa hæc fidei mysteria  
corporis oculos claudas, & ratio-  
nem excludas, tanta enim divini  
amoris documenta fide humanâ  
comprehendere impossibile pla-  
nè est, solâ fide divinâ assequi li-  
cet. Latebas, O peccator! tan-  
quam filius iræ, in tenebris, & ut  
vir mortis sedebas in umbra mor-  
tis, debebas plus quam decem

millia talenta, decretum erat te  
tradere tortoribus, & ibi, donec  
novissimum solveres quadran-  
tem, detinere; inclinavit altissi-  
mus Deus coelos, & descendit,  
cur? ut te liberaret; unde? ex car-  
cere; à quibus poenis? æternis:  
quo tempore? cum essem inimicus  
eius; quo pretio? sanguine suo;  
quibus mediis? ignominiis, tor-  
mentis, catenis, funibus, flagellis,  
spinis. O portentum amoris! ô  
prodigium misericordiae divinæ!  
ut liberet servum, descendit Rex  
Regum, & Dominus Dominan-  
tium; unde? è throno gloriæ;  
quò? ad foenum & præsepe; ad  
quid? laborare; à quo tempore?  
ab infantia; quoad usque? usque  
ad mortem crucis expendere;  
quid?

quid? sanguinem suum; quantum?  
usque ad novissimam guttam.  
Hæc omnia humano intellectui  
videntur mera absurdæ & para-  
doxa. In vanum igitur laborat  
ingenium nostrum, hæc divini  
amoris arcana assequi; quoniam  
autem nefas Christiano est, de eo-  
rum veritate dubitare, quæ men-  
te nostrâ capere non possumus,  
verâ fide credere debemus. Fe-  
cisti, O JESU amantissime! & per-  
tulisti pro me perduto peccatore  
omnia, quæ facere, & perferre ad  
meam salutem potuisti; quid igi-  
tur retribuam tibi pro omnibus,  
quæ retribuisti mihi? scio, quid  
à me velis; desideras quasi bono-  
rum meorum indigens, ut cor  
meum tibi præbeam. At excors

forem, si huic desiderio satisface-  
re renuerem, & cor efflagitatum  
tibi dare dubitarem. Reddo igi-  
tur & restituo tibi non tantum  
cor meum , sed etiam totum cor-  
pus, animam, vitam, cogitationes,  
dicta, facta, res secundas & ad-  
versas, læta, tristia, amores, odia,  
& quidquid ad me spectare, & à  
me proficiisci potest , omnia hæc  
divinæ Majestatis tuæ obsequiis  
sunt consecrata ; hæc omnia tibi  
dico, dedico, offero, restituo; cer-  
tissimè enim scio, quando omnia  
tibi dedero, nihil te rerum mea-  
rum tibi oblatarum accepturum ,  
quod non pluribus nominibus an-  
te sit tuum. Tanta enim tua in me  
sunt merita, tanta beneficia mihi  
concessa, ut, si omnes atomi ver-

terentur

Quinque  
ne AngelusQui  
tus, & il-

terentur in linguas, quibus te laudarem, in manus, quibus tibi servirem, in corda, quibus te amarem, hæc omnia nihil essent; & ideo te diligam toto corde in omnibus, & super omnia, qui es summa mea felicitas, primum principium, & ultimus finis. Omnia ad JESUM, & propter JESUM, quia omnia ex JESU, & in JESU.

*Quinque Pater & Ave. Et in salutatione Angelica post nomen JESUS:*

*Qui pro nobis spinis coronatus, & illusus est.*



MYSTERIUM  
PASSIONIS DOMINICÆ  
VIGESIMUM SECUNDUM.

Meditatio pro vigesima secunda  
die Mensis.

XXII.

*Christus a Iudeis ad mortem crucis depositur.*

**I**N Prætorio Præsidis Romani,  
tanquam sanguinariâ barbaræ  
crudelitatis arenâ, & injustitiæ of-  
ficiâ innocentissimum nostrum  
Jesum totum nudum columnæ al-  
ligatum flagellis & catenis conci-  
sum, nec non spinis coronatum,  
& in facie sputis contaminatum,  
arundine percussum consideravi-  
mus hactenus ; superest igitur, ut,  
quod illi porro evenerit, breviter,  
sed

sed devoto animo perpendamus.  
Finitâ hâc immanissimâ flagella-  
tione & coronatione, milites Je-  
sus sistunt Pilato judicaturo, an  
etiam officium suum impleverint,  
qui ad hunc aspectum attonitus  
facilè animadvertere potuit, hósce  
nebulones ad Judæorum instan-  
tiā in execuzione consuetum a-  
pud Romanos flagellationis mo-  
dum, quamvis in se crudelissi-  
mum, & sphæram mandati sui  
longè excessisse, quoniam verò  
factum infectum reddere non po-  
tuit, hunc excessum silentio in-  
volvit; nihilo minùs misericordiā  
commotus, JESUM his vel simili-  
bus verbis fortè allocutus est:  
doleo vices tuas, ô mortalium in-  
felissime! quas tamen pro præsen-  
ti

ti rerum facie , & urgente ratio-  
ne statūs politicā declinare , inte-  
grum non fuit , sed , ut populo Ju-  
daico in tuam innocentiam de-  
bacchanti aliquo modo satisface-  
rem , insimulque authoritatem à  
Cæsare mihi concreditam contra  
hos tumultus tui causâ excitatos  
vindicarem , flagellis te , nullius li-  
cet criminis reum submittere no-  
lens volens coactus fui ; præsenti  
jam sis animo , & Isequere' me , ut  
populo tuo furibundo corpus tam  
crudelissimè laceratum osten-  
dam , ad illūmque novam de in-  
nocentia tua mihi optimè nota  
concionem habeam , spero enim ,  
fore , ut ad hunc feralem aspe-  
ctum , & meam innocentiae de-  
clarationem toties repetitam ac-  
quiescant ,

quiescant, & de ulteriori accusa-  
tione desistant; tanta enim infla-  
gellatione & coronatione susti-  
nuisti tormenta, ut misericordiâ,  
quam invidiâ, dignior sis. Hoc  
dicto Pilatus (secundum textum  
Evangelicum) exivit foras, &  
dixit Iudeis: ecce adduco eum fo-  
ras, ut cognoscatis, quia nullam  
in eo causam invenio. Exivit er-  
go Iesus portans coronam &  
purpureum vestimentum, & di-  
cit eis: Ecce Homo. Exivit sci-  
licet Praeses Romanus in locum il-  
lum, qui in Evangelio speciali no-  
mine Lilostroton vocatur, ubi  
confertissima Iudæorum multitu-  
do Christum post flagellationem  
producendum cum maxima in-  
dignatione exspectabat, & ex hoc  
loco

loco tanquam eminentiore , po-  
pulo in terra humeris denso , JE-  
sum ad spectaculum productum,  
plagis alapisque contusum, flagris  
contritum, pugnis lividum , spi-  
nis coronatum , sputis deforma-  
tum, purpureo vestimento indu-  
tum ostendit , digito eum mon-  
strans, ECCE HOMO exclamat,  
& insuper contestatur , se omnia  
testimonia ab accusatoribus con-  
tra Jesum proleta ad legum & ju-  
stitiæ trutinam exactissimè pon-  
derâsse, totum negotium maximâ  
cùm industriâ examinâsse , & , an  
reus præsens quicquam contra  
Cæsar is Majestatem , vel etiam  
quietem publicam commiserit ,  
vel aliud flagitium morte dignum  
perpetraverit, summâ cùm cir-  
cumspe-

cum spectione quæsivisse; protestatur autem coram omnibus Judæis, immo cœlum & terram in testimonium invocat, se omni adhibitâ diligentia nullam in eo mortis causam invenire potuisse. Quoniam autem indignissimum sit, innocentem, qui nihil morte dignum commisit, ad mortem ex mero respectu humano condemnare, se in conscientia obligatum esse, ut illum tanquam innocentem dimittat. Vix finem hujus concionis Pilatus facere potuit, & ecce Judæi canibus & tigribus truculentiores, uno ore, furiosis similes vociferantur: *Tolle, Tolle, crucifige eum:* tolle pestem reipublicæ, amove opprobrium gentis Judaicæ, monstrum hominum, inutile,

inutile, imò nocivum terræ pondus; ait Pilatus: Regem vestrum crucifigam? responderunt, non habemus Regem, nisi Casarem. Instat Pilatus: accipite eum vos, & crucifigite, ego enim non inventio causam in eo. Responderunt ei Iudei, nos legem habemus, & secundum legem nostram debet mori, quia filium Dei se fecit.

Sed mentita es, ô impia gens Judaica! in caput tuum, non enim se fecit filium Dei, sed talis reverâ est, ab æterno genitus non factus, Patri consubstantialis, per quem omnia facta sunt, & sine quo nihil factum est, quod factum est, totius mundi Redemptor & Messias vester in Vaticiniis divinis promissus; & hunc reum mortis accusa-

accusare, ad crucem deposcere, eumque in finem prætextum juris, legisque colorem allegare non dubitasti. Dic mihi, quæso, ô perversa Synagoga ! in quanam lege sancitum est, non dicam Mef-siam, sed innocentem tantum hominem ex mero odio & invidia ad mortem condemnare ? in octavo Decalogi præcepto prohibitum est, falsa contra proximum adhibere testimonia, & in quinto ejusdem Decalogi veritum est, hominem occidere. At in tuo Decalogo inverso statuis permisum esse, innocentissimum JEsum de variis accusare criminibus, falsissima contra eum conquirere testimonia, perjuros producere testes, imò ad crucis mortem eum

Q

con-

condemnare. Rejecit miserrima  
Judæorum Synagoga regnum  
Messiæ, ex regis Davidis sanguine  
descendentis, maluitque col-  
lum suum Imperatoris pagani ser-  
vitio, quam dulci Christi jugo sub-  
mittere, quid mirum igitur, im-  
piam hanc gentem tanquam to-  
tius mundi opprobrium per om-  
nes nationes, & gentes dispersam  
esse. Nos Christiani, quæ tales,  
non habemus alium Regem, quam  
Christum Salvatorem nostrum u-  
nicum, à quo Christiani nomina-  
mur, ideoque, quæ sunt Christi,  
Christo tanquam Regi nostro,  
cujus regni non est finis, redde-  
mus, ejusque voluntati nos unicè  
committemus.

Ego, ô amantissime JESU! te pro  
Re-

Rege & Duce eligo, & in ejus tesseram, quod te ut talem agnoscam, ad pedes tuos procido, divinam voluntatem ac providentiam tuam pronissimâ mente adoro, méque totum tuis manibus, potestati, ac imperio submitto; nulla mihi sit facultas animæ, nulla corporis pars, nulla manuum actio, nullum oris verbum, nulla mentis cogitatio, nullum cordis desiderium, super quod tu, O JESU, in me non regnes. Subjicio & committo me penitus & perfectè amori illi, quidquid de me sanctissima & semper' adoranda tua voluntas disposuerit, paratus sum facere & pati, vivere & mori, uti placitum est ante te Deus meus. Et ideo perinde mihi erit,

sive pauper, sive dives sim, sive  
sanus, sive infirmus, sive honora-  
tus, sive abjectus, sive hilaris, sive  
tristis, scio enim, hæc omnia à  
tuis proficisci manibus, nolo  
quicquam meo relinqu arbitrio,  
in iis, quæ conditionem vitæ,  
horam ac genus mortis meæ at-  
tingunt, modò talis sim, qualern  
me esse velis. Amputa, rescinde  
& everte omnia in me consilia,  
quæ tuæ voluntati & dispositio-  
ni quovis modo adversantur; nec  
unum desidero vitæ momentum,  
vel tantillum sanitatis, aut sen-  
sum ullum gaudii, imò nec gra-  
dum unum gratiæ & gloriæ supra  
id, quod à te mihi decretum est.  
Statue de fortuna, sanitate, vita,  
& morte mea, quicquid placue-  
rit.

*Pro vigesima secunda die Mensis.* 245

rit. Quia tu Rex & Deus meus es. Adveniat igitur regnum tuum, fiatque voluntas tua, sicut in cœlo, & in terra. Amen.

*Quinque Pater & Ave. Et in salutatione Angelica post nomen IESUS :*

*Qui à Judæis ad mortem postulatus est.*

---

## MYSTERIUM PASSIONIS DOMINICÆ VIGESIMUM TERTIUM.

Meditatio pro vigesima tertia die Mensis.

XXIII.

*Christus à Pilato ad mortem crucis condemnatur.*

**U**T Romanum Præsidem Pilatum in suas partes furibun-

Q 3

da

da Synagoga allicere , & ab eo  
contra Salvatorem nostrum mor-  
tis sententiam impetrare possit ,  
varia haetenus adhibuit consilia  
& remedia , sed irrito successu ;  
Judex enim hic , licet paganus , de  
Christi tamen innocentia certus ,  
hunc contra continuas Judæo-  
rum vociferationes acriter defen-  
dit , séque in illo nullam mortis  
causam invenire potuisse , toties  
quoties coram universo populo  
publicè contestatus est . Obstu-  
pescunt ad hanc Pilati constan-  
tiam seniores & scribæ cum tota  
Judæorum turba ; scientes ta-  
men , quād odiosum apud Ro-  
manos nomen Regum in pro-  
vinciis , armis subjectis sit , respe-  
ctu humano animum Pilati haet-  
nus

nus constantem impugnare statuunt, ideoque minacibus exclamant vocibus: *Si hunc dimittis, non es amicus Cesaris.* Si, O Pilate ( voluerunt dicere) hunc homuncionem & totius gentis perversorem dimittis, de quo tamen tibi ex accusatione nostra satis constat, quod se Regem Judæorum nominare, & sceptrum de Juda ambire non dubitaverit, actum erit non tantum de dignitate, authoritate, & fortuna tua, Cæsarisque gratiâ, sed etiam de vita tua, & tanquam publicus Imperatoris, totiusque Imperii hostis ignominiosissimâ morieris morte. Evidem hic fuit aries ille fortissimus, quo Judæi murum Pilati aheneum uno quasi impe-

tu labefactarunt; hic fuit fluctus  
decumanus, quo oppressa justitia,  
submersa æquitas, condemnata  
ad crucem innocentia, pauca e-  
nim hæc verba: *non es amicus  
Cæsar is*, animum Pilati haec tenus  
immobilem planè perturbarunt  
& prostraverunt. Quid mihi Ro-  
mano in Judæa Præsidi (ita ra-  
tiocinabatur hic Vertumnus)  
cum vilissimo illo terræ vermi-  
culo, ut ejus gratiâ, gratiâ Cæsar is  
excidam? sit mihi amica in Jesu  
justitia, æquitas & innocentia, sit  
tamen magis mihi amica in Cæ-  
sare meo gratia, tollatur inno-  
cens ex hac vita, quam Pilatus ex  
Cæsar is clientela ac patrocinio.  
Tanta in cupiditate placendi ho-  
minibus, & in formidine illis di-

spli-

splicendi, latet crudelitas, ut, quod neque Pharisæi suis calumniis, neque Judæorum seniores & scribæ suis falsis testimoniis, neque populus suis inconditis clamoribus impertrare potuerunt, solus respetus humanus & metus offendendi Cæsarem tanquam noverca Justitiae, & pestis æquitatis, à Pilato antea immobili extorquere potuerit. Nitebatur quidem condux ejus tanquam matrona spectatissima maritum à tramite justitiae ex vano respectu humano declinantem in gyrum æquitatis revocare, *sedente enim* (secundum Matth. cap. 27.) *pro tribunali Pilato, misit ad eum uxori ejus dicens, nihil tibi & justo illi;* multa enim hodie passa sum per

visum propter eum, sed surdo  
marito mulier hæc prudens nar-  
ravit fabulam, vel potius veram  
historiam personum divinum  
revelatam, videns enim Pilatus,  
quod nihil proficeret, sed magis  
tumultus fieret, acceptâ aquâ  
lavit manus coram populo, di-  
cens: *innocens ego sum à sanguine  
justi hujus, vos videritis.* Quâ  
tamen contestatione Pilatus ni-  
hil aliud obtinuit, quâm ut despe-  
riata hæc turba contra se & po-  
st ros vindictam divinam in æ-  
ternam rei memoriam provoca-  
verit, & uno ore exclamaverit:  
*Sanguis ejus sit super nos, & fi-  
lios nostros.* Quemadmodum Pi-  
latus Christi innocentiam toties,  
imò ad nauseam laudavit & pu-  
blicè

blicè confessus est, se nullam in illo ad mortem invenire potuisse causam, ita etiam eandem, ferali huic processui ultimam impositurus manum, tam verbis, quam factis contestari voluit, verbis quidem, dum populum Judaicum ita alloquitur, innocens ego sum à sanguine justi hujus, facto verò, dum manus suas lavat, & hoc signo in loco eminentiori conspicuo remotioribus, qui in conferta hominum multitudine & magno tumultu contestationem oralem auribus percipere non potuerunt, ostendere voluit, se nolle reatum hujus sanguinis justi in se recipere. Lavisti quidem, ò Pilate, manus tuas aquâ, sed quid tibi profuit, manus habere lotas,

lotas, interim conscientiam retinere tanto contaminatam scelerem, quod neque totius oceanum neque diluvii Noëmitici aqua delere potuit, melius animæ tuae consoluisses, si loco aquæ sanguinem ex fonte in palatio tuo præsente, ex quo tot in atrio tuo promanârunt rivuli, hausisses, eoque in vera ad Christum unicum Redemptorem fide, animæ tuae maculas eluisses, quoniam in Christo est verus fons vitæ. Sprevisti hunc fontem, & salutare conjugis tuae fidelissimæ monitum, metitò igitur propter hunc contemptum anima tua per se decim, & quod excurrit, sæcula æternis cruciatur flammis. Meritò Gregorius Magnus Hom. 10. in Ezechielem nostram circa usum

sum hujus salutaris fontis negligentiam cum indignatione miratur, dicens: *Cur pigri sumus, cur torpentes & frigidimanemus, qui in hoc fonte pietatis tantos sequimur lauisse cognovimus? quarere misericordiae fontem debuimus, etiamsi clausus esset; patet, & negligemus.* Ne igitur in eundem, in quem Pilatus, offendam lapidem, aeternumque peream, ad hunc, quem ille neglexit, fontem properabo, ut ex illo non aquam, sed sanguinem hauirire, eoque animam tot flagitiis contaminatam lavare possim. Absit, O innocentissime Jesu, cum Pilato mihi gloriari, quod innocens sim à sanguine tuo. Ego enim sum, & quid pudet confiteri coram te &

sa.

sacerdote tuo, quod cœlo teste,  
committere non puduit ) qui te  
per peccata flagellis concidi; ego  
sum, qui sacro vertici tuo spineam  
coronam per duram & piam mat-  
rem infixi; ego sum , qui corpori  
tuo tot immania inflisi vulnera;  
ego sum, qui ex Venistuis omnem  
extorsi sanguinem ; ego sum , qui  
sanctissimam faciem tuam sputo  
maculavi, mea avaritiate tradidit  
Judæ, ut te Synagogæ 30. argen-  
teis venderet ; mea effrænis in  
vivendo & peccando libido te  
militibus , ut comprehenderent  
& catenis ligarent, tradidit, mea  
iracundia te tradidit ; ministro  
Pontificis ad colaphizandum ,  
mea invidia te tradidit principi-  
bus sacerdotum ad accusandum ,  
mea

mea maledicentia trādidit te mi-  
litibus Pilati , ut in faciem tuam  
conspuerent ; mea ambitio te tra-  
dedit Herodi , ut te veste albâ in-  
dutū illudenter ; mea superbia te  
trādidit iisdem , ut spinis caput  
tuum coronarent ; mea denique  
in quovis scelere cōsciscendo  
impudentia & pertinacia te tra-  
dedit Romanis , ut te crucifige-  
rent. Quâ fronte igitur cum  
Pilato potero asserere me inno-  
centem esse à sanguine tuo ? Ut  
igitur non fīcte cum Pilato, sed  
verè dicere possim : innocens ego  
sum à sanguine justi hujus ; nec ellī-  
tas efflagitat , ut idem , cui ego tot  
intuli tormenta , & inflixi vulnera ,  
mihi etiam peccatori afferat san-  
guinem suum preciosissimum , &

salu-

salutari medicinâ me ab omni  
mortali noxa , quam peccatis  
meis contraxi, lavet, sanguis hic  
sit super me & animam meam  
contaminatam, non ut super Ju-  
dæos in æternam vindictam , sed  
in gratiam & redemptionem  
meam, sit super me, ô JESU, san-  
guis tuus, quem in horto Getse-  
mane per sudorem , in prætorio  
Pilati per flagella & spinas , in  
cruce per clavos & lanceam  
effudisti, ut cum Electis tuis sto-  
lam meam in sanguine tuo lavare  
& dealbare possim. Cor mundum  
crea in me Deus, & Spiritum  
rectum innova in visceribus meis,  
ne projicias me à facie tua, &  
Spiritum sanctum tuum ne au-  
feras à me; redde mihi latitiam  
salu-

Pro vige-

Salutaris

l confirm

lava me

peccatis n

Quinque  
ne AngelicQui p  
cis cond

MY

PASSIO

VIG

Medita

Christia

A Der

nita

à totu

siderio

Pro vigesima tertia die Mensis. 257

salutaristui, & Spiritu principali confirmame; amplius amplius lava me ab iniuitate meâ, & à peccatis meis munda me. Amen.

Quinque Pater & Ave. Et in salutatione Angelica post nomen IESUS:

Qui pro nobis ad mortem crucis condemnatus est.

---

MYSTERIUM  
PASSIONIS DOMINICÆ  
VIGESIMUM QUARTUM.

Meditatio pro vigesima quarta  
die Mensis.

XXIV.

*Christus crucem suam bajulat.*

A Derat jam hora illa à Ss. Trinitate in concilio conclusa, & à toto mundo, maximo cùm desiderio, exspectata, hora Christo

R

fa-

fatalis, humano autem generi nat-  
tal & salutaris, de qua ipse Sal-  
vator noster ascendens Hierosolymam discipulis suis prædixit:  
*Filius hominis tradetur Principi-  
bus Sacerdotum, qui tradent  
eum gentibus ad illudendum, fla-  
gellandum & crucifigendum.*

Cùm enim Pilatus respectu hu-  
mano & populi Judaici minis in-  
tantas redactus esset angustias,  
ut nihil effugii amplius videret,  
maluit peccare contra Justitiam,  
æquitatem & innocentiam in Je-  
su agnitarum, quàm Cæsaris gra-  
tiam, & gentis Judaicæ amici-  
tiam, Jesum dimittendo, offendere,  
ideóque teste Lucâ cap. 23.  
*Adjudicavit fieri petitionem eo-  
rum, & Iesum tradidit volun-*

tati eorum, ut crucifigeretur. Si cognovisses, ô Pilate, qualis sit ille, quem ad crucis mortem condemnâsti, ad fidelissimæ conjugistuæ admonitionem illum priori libertati restituisses non modò, sed etiam cum tribus Magis in genua procumbens tanquam Dominum & Redemptorem adorâs-  
ses. Quoniam verò hæc hora fuit tenebrarum, in qua iniquus hic Judex salutem animæ suæ neglexit, Agnum innocentissimum lupis commisit rapacibus. Vix enim insaniens Judæorum turba hanc Pilati sententiam arrestis auribus, summóque cum gaudio excepit, cùm repletum est Jeremiahæ vaticinium : *Sibila verunt & tremuerunt dentibus & dixerunt:*

de vorabimus, en! ista est dies,  
quam exspectabamus, inveni-  
mus, vidimus, & repente totâ ur-  
be per omnes plateas & compi-  
ta triumphalis Judæorum jubilus  
incondito clamore resonare cœ-  
pit. Ne igitur Pilatus extortam  
mutet sententiam, vel milites Ro-  
mani circa ejus executionem ul-  
lam amplius nestant moram, Ju-  
dæi hos compellunt, ut crucem,  
clavos, malleos, funes, terebras,  
forcipes, ligones, scalam, spon-  
giam, acetum, vinum myrrha-  
tum, & alia feralis pompæ instru-  
menta Romanorum ritu in ejus-  
modi executionibus capitalibus  
consueta afferant, eaque Christi  
oculis explicit. Aspicit Salva-  
tor hunc apparatus, imprimis

verò ipsam crucem, Patrémque  
suum cœlestem his fortè alloqui-  
tur verbis: Hactenus tibi, O Pa-  
ter, obediens fui, de cœlo enim  
descendens humanā assumpsi na-  
turam, & homo factus sum, misisti  
me in stabulum Bethleemiticum  
ad boves & asinos, in Ægyptum  
ad barbaras gentes, in erenum  
ad jejunium & tentationes dia-  
bolicas, in prætorium Pilati ad  
flagella, & coronam spineam, in  
omnibus fui morigerus, jam etiam  
ero obediens tibi usque ad mor-  
tem crucis, quò sanguine & mor-  
te meâ totum genus humanum  
ab æterna liberare possim morte.  
Simul ac igitur crux affertur,  
Christus illam, quamvis lignum  
quondam maledictum, nunc tan-

quam instrumentum arcanis mysteriis plenum, tanquam aram à Ss. Trinitate electam, in qua magnus Sacerdos & summus Pontifex cruentam hostiam pro totius mundi redemptione oblatus sit, ambobus amplectitur brachiis, exosculatur, & licet sanguine cruentus, vulneribus plenus, viribus exhaustus, ob deliquia ægrè spirans, submississimâ totius tam corporis, quam animi reverentiâ humeris suis imponit, & sub infami maledictæ arboris mole ac decussataæ crucis pondere lugubri pompâ plateas urbis obambulat, saepius repetens sécum illud Luc. cap. 19. *Jerusalem, Jerusalem, quoties congregare volui filios tuos, quemadmodum congregat gal-*

gallina pullos suos sub alas, &  
 noluisti, dum interim Judæi cum  
 perfido Semei 2. Reg. 16. exclamant:  
*Egredere, egredere vir san-*  
*guinū, & vir Belial, ecce premunt*  
*te malatua, quoniam vir sangu-*  
*num es.* Egredere potator vini,  
 qui peccatores recepisti, cum Pu-  
 blicanis comedisti, & scortum  
 ad sumptuosam pedum lotionem  
 admisisti; egredere macula gen-  
 tis Judaicæ, pestis religionis no-  
 stræ, Synagogæ hostis. Dum  
 Christus durante hâc Judæorum  
 vociferatione per aliquot passus  
 cum cruce progressus est, ex ni-  
 mio livore sub illius mole in ter-  
 ram procumbit; carnifex igitur  
 cum Judæis timentes, ne mors  
 præveniens ipsum à tormentis &

264      *Meditatio vigesima quarta,*  
ignominia crucis liberet, inven-  
runt (teste textu Evangelico )  
hominem Cyrenaum nomine Si-  
monem venientem de villa, pa-  
trem Alexandri & Ruffi, eumq;  
angariauerunt, & imposuerunt  
illi crucem portare post IEsum ,  
& hic Simon Christi crucem ba-  
julans, hodiernæ meditationis  
erit meta & materia.

Fuit hic homo obscuris natali-  
bus, abjectus terræ filius, rusticus  
triobolaris, ex infimo subsellio &  
fæce plebis proveniens, opibus  
tenuis, qui tamen eo ipso , quo  
Redemptori nostro crucem ba-  
julanti tanquam socius est adjun-  
ctus, ejusque inferior pars ipsius  
humeris imposta, ad summam  
ejectus est dignitatem & felicita-  
tem.

tem. Magnum quidem in terrâ Alexander Macedonicus, Hannibal Carthaginensis , Scipiones , Cæsar, Pompejus præliis & victoriis, Tullius eloquentiâ, Aristoteles & Plato scientiâ & eruditione sibi conciliaverunt nomen & gloriam , majorem tamen hic Simon sibi & duobus suis filiis in Evangelio expressè nominatis, Christi crucem per brevissimum temporis spatium angariatus bajulans acquisivit gloriam , imò immarcessibilem famam , ubicunque enim prædicatur Evangelium de Christo paciente (prædicatur autem per totum terrarum orbem ) fit mentio hujus Simonis, ejus patriæ & filiorum, pingitur eus effigies in tabulis,

exponitur in aris, proponitur in pulpitis, laudatur ejus exemplum in scriptis Theologorum, allegatur ad imitationem ex ambonibus. Cum igitur tantam Simon Cyræneus Christi crucem per semi-horulam invitus portando in hoc sæculo consecutus est gloriam, quanta in futuro reservata est dignitas & felicitas illis, qui eandem Christi crucem libenter in hac ærumnosâ vitâ portant, nullum certius electionis & prædestinationis est argumentum, quam crucem Christi cum patientiâ bajulare, nullum econtrâ certius reprobationis, & æternæ damnationis signum est, quam hanc crucem odisse, & sine afflictione in hac vitâ per viam latam,

quæ

quæ ad interitum dicit, ambula-  
re. Ideoque Salvator nos *Luc. 14.*  
docuit, *Quin non bajulat crucem  
suam, & venit post me, non po-  
test meus esse discipulus.* Si ergo  
Christi discipulus est, qui bajulat  
crucem suam, sathanæ discipu-  
lum esse, qui illam rejicit, ex con-  
trario argumentari licet. Quam-  
diu enim mortales in affluentia  
vitam degunt, iisque omnia ex-  
voto succedunt, Deus quidem in  
hoc sæculo illis parcit, sed insimul  
in illos sœvit, pœnâque pro pec-  
catis debitam non tollit, sed ad æ-  
ternitatem differt, ac proinde ma-  
gna (teste Hieronymo lib. i. epist.  
38.) iracundia est, quando pecca-  
toribus non irascitur Deus, & re-  
cte monet Divus Augustinus lib.

de

de Virgin. *Cum sequeris vitam Christi, non tibi sacerdotali prosperitates promittas, per dura ambulavit, sed magna promisit, sequere, noli tantum attendere, quæ iturus sis, sed etiam quò iturus sis.* Quamvis autē hæc seita habeant, nihilominus tamen crux illa salutaris, nobis mortalibus planè est exosa, eāmque cane pejus & angue fugimus, ita ut de cruce cogitare nobis sit horror, eam vide re timor, de illâ audire pavor, illam portare labor. Omne nostrum studium est in hoc sæculo lautè & commodè sine angustiis & molestiis vivere, crucemque nobis à Deo destinatam quovis modo declinare, pedes nostri prom-

prompti sunt & veloces ad effugiendam hanc crucem, manus enixè laborant, ut illam destruant, aures nostræ planè obturantur, ne quicquam de crucis molestiis audiant, oculi avertuntur, ne crucem videant, & ita omnes nostri sensus crucē odio prosequuntur. Confiteor, O patientissime JESU! me etiam ex eorum numero esse, qui crucem & afflictionem ut evitare possint, per totam vitam sunt solliciti, sed in præsenti temporis momento muto hanc meam sententiam, & cum Apostolo ad Galat. 6. exclamo: *Absit mihi imposterum gloriari, nisi in cruce Domini nostri IESU Christi quoniam enim crucem tuam baulando, ac Simonem in crucis*  
so-

socium eligendo, viam hanc,  
quam in hac vitâ ambulare de-  
beo, mihi ostendisti, certus-  
que sum, crucem & cum illa om-  
nes molestias & afflictiones à Ss.  
Trinitate mihi decretas à pater-  
nis tuis proficiisci manibus, illam  
amplius non rejiciam, sed amba-  
bus potius amplectar ulnis, &  
cum omni reverentiâ exoscula-  
bor. Tu, ô dilectissima Crux,  
mihi per totam vitam eris, quod  
sol Heliotropio, ut te semper aspi-  
ciam, tu, ô Crux, in perpetuis  
eris deliciis, ut te possideam, tu  
gladius, quo contra tentationes  
pugnem, & tandem lectus, in  
quo in ultimo agone dormiam,  
& in Christo placidè obdor-  
miam. Amen.

O Crux

*Pro vigesima quarta die mensis.* 271

O Crux! ave spes unica,  
Hoc Passionis tempore  
Auge piis justitiam,  
Reoque dona veniam.

*Quinque Pater & Ave. Et in salutatio-  
ne Angelica post nomen JESUS:*

*Qui crucem suam bajulat.*



MY-

MYSTERIUM  
PASSIONIS DOMINICÆ  
VIGESIMUM QUINTUM.

Meditatio pro vigesima quinta  
die Mensis.

XXV.

*Christus in monte Calvaria crucifixus est.*

**I**N veteri Testamento populo Judaico sub gravi peccato prohibitum erat, montem Sinai, in quo Divina Majestas legem suam promulgavit, ascendere; erat enim mons terribilis, ideoque Deus per Moysen minabatur: *Omnis qui montem hunc tetigerit, morte morietur, manus non tangent eum, sed lapidibus opprimetur, aut confodietur jaculis.*

Exod.

Exod. 19. At in novo Testamento & historiâ Dominicæ Passionis longè alia montis Calvariæ est conditio, qui quidem terribilis est Judæis, quia densâ tenebrarum caligine circumfusus est, terribilis morti, rerum omnium terribilium terribilissimæ, quia in hoc monte devicta est, terribilis Principi tenebrarum, quia æternis ibi ligatus est catenis; Sed salutaris Christianis & peccatoribus verè pœnitentibus, quia ibi remissa sunt peccata, & magnus bellator, qui secundum Psalmistam 143. *Docet manus nostras ad prælium, & digitos nostros ad bellum,* in hoc loco mortem nostram moriendo destruxit, chirographum decreti, quod adver-

sùm nos erat , pretiosissimo san-  
guine suo delevit, Principatus &  
potestates exspoliavit , in sémet-  
ipso illos palam triumphans &  
Principem mundi ejiciens. Cùm  
decrevisset vindicta divina So-  
domam & Gomorram cum ad-  
jacentibus regionibus sulphure &  
igne de cœlo misso funditus de-  
lere, jussit per Angelum discedere  
Loth, ut eum ab interitu instantे  
& reliquis concivibus impiis im-  
minente in columem servaret : ita  
enim Angelus ad illum locutus est,  
*Surge tolle uxorem & duas filias,  
quas habes, ne & tu pariter pereas  
in scelere civitatis, in montem, sal-  
vum te fac, ne & tu simul pereas.*  
Gen. 19. ne igitur & ego propter  
peccata mea in igne & sulphure

tar-

tartareo æternum peream, hunc  
Calvariaë montem, in quo Salva-  
tor nostram operatus est salu-  
tem, cum illo ascendam, & de-  
cretoriam illam pugnam, quam  
secundum Ps. 23. *Dominus fortis*  
*& potens, Dominus fortis in præ-*  
*lio, pugnat in eâ aëreas potestates*  
*prostraturus, Luciferumque unâ*  
*cum in mundo vi|erice
|  |
 manu debel-  
laturus est, devoto & contrito  
corde aspiciam, certus enim sum,  
hunc pietatis montem Christi  
sanguine imbutum omnium pio-  
rum pœnitentium securum esse  
asylum, ab eoque neminem ex  
peccatoribus resipiscientibus un-  
quam arceri. Simul ac igitur Re-  
demptor noster sudore undique  
perfusus, sanguine cruentus, mil-*

le cruciatibus exhaustus, cruce  
onustus, ad cacumen montis vul-  
gò Golgatha dictum, tanquam  
locum supplicii toto mundo vilif-  
simum, crucibus & cadaveribus  
delinquentium infamem perve-  
nit, milites Romani crucem, quam  
Salvator huc usque cum Simone  
socio bajulaverat, ex humeris re-  
cipiunt, funes & catenas, quibus  
manus illius ligatae erant, solvunt,  
& vestimenta tantâ iterum de-  
trahunt crudelitate, ut jam non  
cutis, quæ in Pilati prætorio fla-  
gellis cesserat, sed caro ipsa cute  
privata, & sanguinis concreti glu-  
tino quasi vestibus adhærens, fru-  
statim evelli, & sanguinis rivuli  
hâc denudatione aperti, de novo  
manare coeperint. Dum in terra  
se-

sedet Salvator aëri & sœvientibus  
ventorum turbinibus expositus,  
vulneribus laceratus , sanguine  
undique conspersus omni huma-  
no destitutus solatio, accedunt ad  
illum carnifex, & loco vini puri,  
quod reis ad mortem condemna-  
tis ante executionem sententiae  
ex inveteratâ consuetudine pro-  
pinari solet, vinum velle & aceto  
permixtum illi obtulerunt ad im-  
plendum Regium illud vatici-  
nium Ps. 64. In siti mea potave-  
runt me aceto; sed, cùm illud  
gustâisset, bibere recusavit , suo  
exemplo Christianos docens .  
quod amarum illud linguæ calu-  
mniosæ fel & acetum extremis  
quidem labiis degustare possint,  
id quod humanum est, ejusmodi

tamen contumelias & detrac*ctio*n*es honoris ad animum & stomachum revocare non debeant, multò minùs eo nomine contra calumniatores privatam exercere vindictam, permissum sit, & ipsis potiùs incumbere, ut tales injurias æquo animo perferant.* Recusato hoc potu ad crucem tanquam aram destinatam cruentato sacrificio, maximo cum desiderio, properat, & in illam inclinat, in cuius longum & latum milites Romani Corpus Christi perforatis per clavos obtusos manibus & pedibus tam immani extenderunt crudelitate, ut omnium ferè membrorum compages dissolveretur. Finitis hisce novis tormentis JEsūm crucifixum tantum

quam hostiam cruentam Patri  
cœlesti gratissimam, immissâ in  
scrobum altam cruce, in altum e-  
rigunt, insimûlque duos latrones  
secundùm textum Luc. 23. &  
Joan. 21. crucifixerunt, unum à  
dexteris, alterum à sinistris, me-  
dium autem Jesum; ac ita, qui  
medius inter Patrem & Spiritum  
sanctum est, etiam in monte Cal-  
variæ in medio latronum pepen-  
dit. Si igitur, ô peccator, te an-  
gant crimina tua, quibus divinam  
Majestatem millies offendisti, ex  
iisque infinitos in conscientia tua  
sentias remorsus, noli propterea  
cum Caino de emendatione vitæ,  
& cum Juda de animæ salute de-  
sperare, præsenti potius sis ani-  
mo, & audias verba illa solatii

plena apud Joann. cap. 3. *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis, ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Tanta in æneo serpente à Moysè ad mandatum divinum erecto latuit virtus, ut Judæi à serpentibus in deserto admorsi nudo illius aspectu sanati, & à veneno liberatisint, quanto majorem igitur Christianus de salute sua æterna sollicitus ex aspectu non serpentis illius ænei, sed ipsius Salvatoris in hac figura præsignati, & in crucem exaltati consequi

sequi poterit fructum & utilita-  
tem, finis enim hujus exaltationis  
est, ut omnis, qui credit in eum,  
non pereat, sed habeat vitam æ-  
ternam, quod emolumentum  
ex illa Christi in crucem exalta-  
tionem redundantibus, Evangelista dua-  
bus in allegato textu repetit vici-  
bus, ut peccator èò minus de illo  
dubitare possit. Ascendam igi-  
tur montem Calvariæ, accedam  
ad Salvatorem meum dilectissi-  
mum in cruce exaltatum, aspi-  
ciam in contrito corde extensa  
eius brachia ad amplexus pœni-  
tentium parata, perforatas manus  
ac pedes, vulnera hiantia, viscera  
patentia, caput spinis corona-  
tum, totum corpus sanguine per-  
fusum, simûlque perpendam,

quantos mihi ex sanguine & meritis Christi ritè applicatis acquirere possim thesauros. Quoniam enim fide Catholicâ certus sum, unicam pretiosissimi hujus sanguinis guttam sufficere, ut fidem Abrahami, castitatem Josephi, patientiam Jobi, mansuetudinem Moysis, charitatem Apostolorum, constantiam Martyrum, fortitudinem Confessorum, pudicitiam Virginum, modò debitam adhibeam diligentiam, impetrare possim; spero & confido, nullum esse impetum carnis, quem non sustinere, nullas mundi illecebras, quas non vincere, nullas diaboli tentationes, quas non superare, nullā pravam consuetudinem tam altè radicatā, quam non ex-

extirpare , nullum peccatum tam importunum, quod non declinare, nullam virtutem tam arduam, quam non assequi , nullum donum tam excellens, quod impretrare non possum meritis Christi, mihi per eus gratiam ritè applicatis. *Turbabor quidem* (cum divo Bernhardo) propter peccata mea, sed non perturbabor, quoniam vulnerum Christi recordabor. In monte Calvariæ & scrobe illa, in quam Crux Christi immissa est, spei meæ anchoram figam. Et quemadmodum firmissimè spero & confido , sanguine Salvatoris mei tam copiosè pro me & omnibus peccatoribus effuso reserandas mihi portas Regni cœlorum, ita cupio ossibus meis

meis insculpi & sanguine è venis  
corporis mei hausto obsignari  
hæc verba. Deus meus, tu es SPES  
MEA, NON CONFUNDAR IN ÆTER-  
NUM. Amen.

*Quinque Pater & Ave. Et in salutatione  
Angelica post nomen JESUS :*

*Qui pro nobis in monte Cal-  
variæ crucifixus est.*

MYSTERIUM  
PASSIONIS DOMINICÆ  
VIGESIMUM SEXTUM.

Meditatio pro vigesima sexta die  
Mensis.

XXVI.

*Christus pro inimicis intercedens,  
Latronem pœnitentem in gratiam recipit.*

**Q**uemadmodum dilectissi-  
mus Salvator noster ante  
Passio-

Passionem Discipulos suos, eorum  
pedes lavans, in humilitatis virtu-  
te erudire voluit, dicens: *Exem-  
plum dedi vobis, ut quemadmo-  
dum ego feci, ita & vos faciatis,*  
hoc ipso ostendens, efficacissima  
esse docentis verba, quæ ipsius  
factis & exemplis animantur, ita  
etiam ante instantem mortem  
alio exemplo nos docere voluit,  
quomodo inimicos nostros non  
tantum diligere, sed etiam ipsis  
benefacere, & pro eorum salute  
precari debeamus, pendens enim  
in Cruce conversis in coelum o-  
culis ad Patrem cœlestem pro-  
pter peccata nostra iratum suspi-  
rat: *Pater dimitte illis, non enim  
sciunt, quid faciunt.* Noli, ô di-  
lectissime Pater, admittere, ut illi  
quam-

quamvis inimici mei morte perireant æternâ, pro quibus mortem subire paratus, & in procin-  
etu sum, noli vindictam exercere contra illos, per quos morior; sed attende potius, quod illos sanguine meo redemerim; non tantum intercedit Christus pro inimicis & tortoribus suis, sed insuper ignorantiam eorum excusat, dicens, quod nesciant, quid faciant. Itáne, ô mitissime JEsu! asseris, scribas & seniores Populi Judaici tanquam rerum divinarum peritos nescire, quid fecerint, & quam atrocissimum facinus eoipso, quo te ad crucis postulaverunt mortem, commiserint, cum tamen ex sacro Codice & Vaticiniis Prophatarum scire potuerint & de-  
bue-

buerint, te verum esse Messiam,  
totiusque mundi Redemptorem?  
nōnne Pilatus, qui te ad infame &  
maledictum crucis patibulum  
condemnavit, toties coram uni-  
versa Judæorum tui ba tuā profes-  
sus est innocentiam, & contesta-  
tus, se nullam in te mortis causam  
invenire potuisse? & tu nihilo-  
minūs pro his omnibus tanquam  
ignorantibus apud Patrem tuum  
intercedis? O immensum divini  
amoris prodigium! quod nemo  
mortaliū mente suā recte con-  
cipere poterit! maluit Salvator  
in inimicis suis, ut illos à Patris  
vindictâ liberaret, ignorantiam  
excusare. Exemplum dedit no-  
bis, ut, quod ipse præcepit & fe-  
cit, & nos faciamus. Præceptum  
ejus

ejus est, ut inimicos nostros diligere, iisque qui oderunt nos, benefacere debeamus. Hoc Christus in vita, lingua suâ nobis toutes inculcavit, & moribundus in cruce exemplo suo ad imitationem confirmavit, ita ut proprium Christiani in quarto modo sit, inimicos diligere, iisque benefacere. Quâ igitur fronte ac conscientia, nos, qui Christi nomen & fidem veram ore profitemur, eandem autem factis nostris abnegamus, inimicos nostros odio prosequi possumus? certe non potest iracundus inimicum suum, quem non aliter, quam se ipsum diligere tenetur, odiisse, quin eo ipso, dum odium contra ipsum in corde foyet, vindictamque medita-

ditatur, has impias & blasphemas  
voces, si non ore proferat, mente  
tamen concipiat: despiciit sapientia  
Dei in Decalogo dilectionem  
proximi nobis injungens, male  
vult nobis ejus bonitas, saevit con-  
tra nos Misericordia divina, tam  
dura & iniqua mandata nobis  
praescribens, mentitur ipsa veritas,  
errat sapientia divina, dum præ-  
cipit diligere inimicum, & bene-  
facere illi, qui odit me. Imò  
Christianus in corde suo ranco-  
rem & odium contra inimicum  
retinens, totâ die in oratione Do-  
minica vindictam divinam con-  
tra se ipsum provocat, est enim  
conditio, sine qua non dimittun-  
tur nobis à Divina Majestate de-  
bita nostra, nisi & nos dimiserimus

T debi-

debitoribus nostris. Ne ergo incurram hanc vindictam, tu, o mitissime & amantissime JESU, mihi gratia tua assistere velis, ut ad Praeceptum, & exemplum tuum omnes inimicos & persecutores meos, qui me hactenus verbis, & factis offendere proposuerunt, ex sincero corde & reconciliato animo diligere, pro eorum conversione, in columitate, & aeternâ salute continuas preces fundere, iisque quavis data occasione benefacere, ac ita dimissis debitoribus meis à tua bonitate veniam & dimissionem omnium debitorum meorum, quorum numerus arenam maris superat, gratiamque tuam impetrare possim. Amen.

Ave

Ave JESU, qui mactaris,  
Sed tortorum, deprecaris  
Patrem, culpæ parcere;  
Promptè fac nos indulgere,  
Nec vindictam exercere,  
Corde, verbis, opere.

*Quinque Pater & Ave. Et in salutatio-  
ne Angelica post nomen JESUS:*

Qui Patrem pro inimicis ora-  
vit.

Inter inimicos Christi, pro qui-  
bus apud Patrem coelestem inter-  
cessit, non prostremum locum  
duo illi latrones simul crucifixi  
& ex utroque latere suspensi ob-  
tinuerunt, quippe qui hactenus  
per plures annos in viis publicis  
varia commiserunt latrocinia alia-  
que facta atrocissima, & ideo ad

T 2                   cru-

crucis patibulum meritò con-  
demnati sunt, quorum tamen u-  
nus ex dextero latere pendens  
fructus dictæ intercessionis eo-  
dem ferè momento, quo media-  
tor inter Deum & hominem  
Christus eam fecit, percepit, au-  
diens enim ex ore commilitonis,  
sui impia & blasphema illa verba,  
*Sit ues Christus, salvum fac té-*  
*met ipsum & nos*, radiis divi-  
næ gratiæ illustratus hunc blas-  
phemum tam culpæ & malitiæ  
quondam, quām præsentis poenæ  
socium ita alloquitur: *Neque tu*  
*times Deum, quod in eadem dam-*  
*natione es, & nos quidem justè,*  
*nam digna factis percipimus.*  
Hæc alias est mortalium indeoles,  
ut peccata quovis modo excu-  
sent

sent, & vel in dæmonem, qui seduxit ; vel in amicum, qui exoravit, vel in carnem, quæ pellexit, ejusque infirmitatem, quæ spiritum alias promptum superavit, rejiciant, quemadmodum Adam post lapsum à Divina Majestate interrogatus, cur præcepta Dei violasset, culpam in conjugem Ewam, hæc verò in serpentē, illam devolvere voluit, & ita à primo omnium patre accepimus peccatum, ejus autem excusationem à matre didicimus. Latronoluit sua facinora & flagitia excusare, ac, qui pessimam transegit vitam, in ejus fine bonus audire, sed publicè coram astantibus omnibus sémetipsum proprio instinctu accusavit, & palam, non in sacro

tribunali confessus est, se ad crucis patibulum justâ sententiâ condemnatum esse & factis dignare recepisse. Non acquiescit hâc publicâ confessione, sed ut seniores, scribas & totam Synagogam falsissimæ accusationis, Præsidem autem Romanum cum Annâ, Caiphâ, & reliquis Pontificibus injustæ sententiæ insimulare, & à Crucifixo gratiam & peccatorum veniam impetrare possit, hujus innocentiam palâm defendit, dicens: *Hic verò nihil malus gessit*, ac ita dignissimus fuit hic latro, qui se pessimum peccatorem, Christum autem Dominum ac Redemptorem suum agnovit, cui Christus omnia peccata per totam vitam flagitosissimam admisla

missa remittat, eumque in gratiam & Paradysum recipiat. Postquam hic latro pœnitens jam non amplius latro, sed ad latus Salvatoris dexterum pendens, ejus præco, cœli prædo, & crucifixi confessor, impium suum olim commilitonem propter blasphemias voces contra Christum eructatas increpuit, ac hujus innocentiam masculè & publicè, verso in cathedram academicam crucis patibulo, defendit, de sua æterna sollicitus salute, Christum Redemptorem suum oculis lachrymis pœnitentiæ perfusis aspexit, eumque ita allocutus est: *Domine, memento mei, cum veneris in Regnum tuum.* Non desideravit cum suo pertinace commilitone,

ut à cruce liberaretur ; agnovit enim & palam confessus est, se mortis supplicium justè pati; sed unica ejuscura fuit, ut post pœnitentiam, finitâ hâc vitâ, ad regnum cœleste recipiatur. Laconicum quidem erat hoc susprium, pauca continens verba; sciens tamen JESUS tanquam cardiognostes verus, illud ex sincero & contrito Latronis corde profisci, quoniam ipsius est, semper etiam in ultimo vitae male transactæ articulo misereri & parcere; hoc ipsius votum benignissimis exceptit auribus, eique ut desiderii pii fiat compos, respondit, *A-men dico tibi, hodie mécum eris in Paradiſo.* Constat quidem mihi, te totum vitae tuæ pessimæ cur-

curriculum in latrociniis & aliis  
criminibus atrocissimis absolvif-  
se; quoniam verò post publicam  
delictorū tuorum ex cruce con-  
fessionem, me Dominum tuum  
agnovisti, innocentiam meam  
frendente Judæorum turbâ publi-  
cè defendisti, & æternam salutem  
in meritis meis quæsivisti, præ-  
fenti hoc die, in quo propter de-  
merita tua cum impio & blasphe-  
mo socio ad tartarum & ignem  
æternum debuisses relegari, mé-  
cum eris in Paradiso, passione &  
sanguine omnibus verè pœnitent-  
tibus acquisito, ibique cum om-  
nibus Angelis & Electis me à fa-  
cie ad faciem videbis. Mira cer-  
tè & nova hujus Latronis con-  
versi Logica, ex qua meritò om-

nes Christiani, quibus vita æterna curæ cordique est, novum argumentandi artificium discere, ex malis scilicet antecedentibus bonum consequens inferre, mala culpæ & poenæ vertere in facinora virtutum & vitam malè peractam per poenitentiam, licet seram, seriam tamen felici morte finire, debent, quia secundum tritum illud

Omnia tunc bona sunt, clausula quando bona est.

Idem JESUS qui hunc Latronem poenitentem jam morti & æternæ damnationi proximum in gratiam & paradisum recepit, adhuc in cruce expandit brachia, paratus omnium momento te revertentem illis amplecti, modo veram & se-

& seriam poenitentiam agas; noli  
dubitare de impetranda post pec-  
catum commissum venia, nec de  
obtinenda, ne amplius pecces,  
gratiā. Non tu tam es miser,  
quām JESUS noster est misericors,  
sed major est ejus misericordia,  
quām tua malitia; superant qui-  
dem peccata tua quoad nume-  
rum, arenam maris, non tamen  
clementiam & misericordiam  
Salvatoris nostri. Aspice igi-  
tur, O peccator, hunc Latro-  
nem poenitentem, qui, si nomen  
latronis à latere derivatur, verè  
latro dici potest, quippe qui dex-  
terum Christi latus feliciter clau-  
sit; aspice insimul Magdalenam  
circa crucem ad terram prostra-  
tam, Christi sanguinolentos pe-  
des

desosculantem, eosque largissimo lachrymarum imbre rigantem

Magdala divinos Christi sortitur amores,

Latro terit cœlum, quis jam desperet Olympum.

O Domine JESU Christe Fili Dei vivi, qui peccatores pœnitentes semper recipis, ingenuè quidem confiteor, me multa contra te commisisse peccata, ac conscientiam meam flagitiis numero innumeris maculâsse, nolo tamen hanc illis addere injuriam, ut de bonitate & misericordia tuâ unquam desperem. Cum Latrone ad te tanquam omnium peccatorum unicum refugium & asylum configio, cum Magdalena ad

cru-

*4 sexta,  
que largili-  
imbre regia  
Christi forti-  
s,  
n, quis jam  
ympum.  
Christe Fili  
es paenit-  
ingenuè  
ulta con-  
, ac cor-  
s numero  
lo tamen  
m, ut de  
tuā un-  
Latrone  
peccato-  
x asylu  
alenā d*

Pro vigesima sexta die Mensis. 301

crucem procumbo, & pedes tuos  
contrito corde exoscular, cum  
Matre Ecclesiâ ejus Filius dicens:  
Qui Latronem exaudisti,  
Mihi quoque spem dedisti. Am.

Ave JESU! qui Latroni,  
Poenitenti summi boni  
Promisisti gratiam,  
Tali nos contritione,  
Nunc & mortis in agone,  
Fac mereri veniam.

*Quinque Pater & Ave. Et in salutatione  
Angelicâ post nomen JESUS:*

Qui Latronem revertentem  
in gratiam recepit.



MY-

MYSTERIUM  
PASSIONIS DOMINICÆ  
VIGESIMUM SEPTIMUM.

Meditatio pro vigesimâ septimâ  
die Mensis.

XXVII.

*Christus Matrem commendavit  
discipulo, & se derelictum à Patre  
clamavit.*

**Q**uàm immenso & tenerrimo  
dilectissimus Redemptor a-  
more peccatores & inimicos suos  
amplexus fuerit, si unquam in  
tota vita, certè in cruce imprimis  
ostendit, dum majorem eorum,  
quàm Genitricis sanctissimæ suæ  
cruci in summo animi mœrore  
stantis curam habuit, eumque in  
finem pro inimicorum tortorum-  
que

que salute in genere ad Patrem  
cœlestem oravit, Latroni autem  
revertenti in specie post actam  
pœnitentiam Paradysum pro-  
misit. Sequitur nunc in ordine  
tertium verbum, quod Christus  
in cruce pronunciavit, & partim  
dilectissimam suam Matrem, par-  
tim vero discipulum pectora-  
lem Joannem concernit. Stabat,  
teste hoc Evangelistâ cap. 19.  
*juxta crucem Iesu Mater ejus.*  
Stabat afflictissima hæc Mater  
juxta crucem, stabat constanter,  
& sibi inter tot tristia constabat,  
non procubuit in terram, multò  
minus filii & reliquorum astan-  
tium aures ejulatibus replevit, sed  
stabat erecta, non avertens ocu-  
los, uti Agar, ne filii cruciatus &

in-

interitum aspiceret, sed potius omnia dilectissimi Filii sui vulnera intuebatur, & ex hoc aspectu tristissimo tantam in animo recipiebat moestitiam & afflictionem, ut si secundum probabilem Doctoris melliflui sententiam Tom. 2 serm. 61. Dolores illi, qui sanctissimam Deiparam obruerunt, in omnes dividerentur creaturas, omnes subito perirent. Stabat, non ad Filii in Cruce susensi auxilium & solatium, sed ad augendos tam proprios, quam natii cruciatus & dolores. Christus igitur morti proximus moestissimæ suæ Genetriciante instantem obitum omni modo prospicere voluit, ne scilicet omni destituantur solatio. Ideoque discipulum suum

suum Joannem unà cum Matre  
Virgine cruci adstantem his allo-  
quitur verbis: ECCE MATER TUA.  
Laconica hæc fuit oratio, tribus  
tantùm constans verbis, quæ ta-  
men maximi fuerunt ponderis &  
in signis utilitatis. Sed quid ad il-  
la Joannes? fortè cum modernis  
protestantibus contra hanc ma-  
ternam tutelam protestatur, il-  
lam tanquam suam matrem a-  
gnoscere dubitat, debitum san-  
ctissimæ Deiparæ & futuræ Pa-  
tronæ honorem denegat, & ut  
aliam vilissimam mulierculam de-  
spectui habet? non, planè non, ab-  
sint ab hoc discipulo ejusmodi co-  
gitationes & detractiones in vi-  
lipendium castissimæ Virginis  
vergentes, summâ potius ad hoc

Christi verbum perfusus lætitia,  
teste textu Evangelico, Ex illâ  
horâ accepit eam Discipulus in  
sua. Probè noverat illa magna  
Evangelistarum Aquila, quâm  
immensus in passione & morte  
Redemptoris nostri lateat thesa-  
rus, & quòd una ejus guttula ad  
redimendum totum genus hu-  
manum fuerit sufficiens, quo ta-  
men non obstante maternæ huic  
clientelæ à Magistro sibi oblatæ  
lubentissimè se submittit, certus,  
hoc Virginis Mariæ patrocinium,  
fiduciae in sanguine & meritis  
Christi positæ planè non contra-  
riari, sed optimè inter se conve-  
nire, ideoque in illo ipso momen-  
to, quo ex ore Christi tria hæc  
verba mysterii & solatii plena bi-  
bu-

bulis exceptit auribus, illam in Matrem & Patronam suam maximo cum desiderio & gaudio accepit. Ex illâ scilicet horâ, ô felix & ter felix hora, in qua Mariam in matrem nostram eligimus. Gratulor tibi, ô beatissime Evangelista, de magnâ illâ, quæ tibi sub umbrâ crucis Christi obtigit, felicitate, si enim mater Redemptoris pro te, quis contra te. Gratulor Ecclesiæ sanctæ Catholicæ, cui à sponso ejus mater in Patronam data est. Gratulor mihi met ipsi, qui eam tanquam dilectissimam meam elegi Patronam, & Advocatam apud Filium; si enim Maria est mater mea, JESUS Christus est frater meus, ac proinde ejus hæreditas

308. *Meditatio vigesima septima,*  
etiam mea est. Ut igitur hanc im-  
petrare possim hæreditatem, pe-  
to à te, O Mater clementissima,  
per sacratissimum sanguinem il-  
lum, quem Filius tuus pro me ef-  
fudit, ut me in filiorum tuorum  
numerum adoptare, & interces-  
sione tuâ à Divina Majestate gra-  
tiam impetrare mihi velis, ne in  
omnibus meis cogitationibus,  
verbis & operibus quicquam,  
quod divinis tuisque oculis di-  
spliceat, committam & perpet-  
trem. Sis Domina mea clemen-  
tissima, ut tibi serviam, sis Patro-  
na mea, ut tibi confidam, sis Re-  
gina mea, ut tibi obediam, sis mi-  
hi in afflictionibus consolatrix, in  
tentationibus auxilium, in pecca-  
tis refugium. Ora pro me pecca-  
tore

<sup>14 septima;</sup>  
itur hanc im-  
editatem, pe-  
mentillima,  
anguinem il-  
s pro me ef-  
am tuorum  
& interces-  
tategra-  
els, ne in  
tionibus,  
nquam,  
oculis di-  
& perpe-  
a clemen-  
lis Patro-  
, sis Re-  
m, sis mi-  
olatrix, i-  
, in pec-  
mepera-  
ore

Pro vigesima septima die Mensis. 309

tore, filio & cliente tuo nunc &  
in horâ mortis meæ.

Eja Mater illud agas,  
Crucifixi fige plagas

Cordi meo validè. Amen.

Ave JESU, qui præsentem,  
Cruci Matrem heu dolentem

Commendas discipulo.

Pari nos tuere curâ,

Per te constet mens secura

Quovis in periculo. Am.

*Quinque Pater & Ave. Et in salutatio-  
ne Angelicâ post nomen JESUS:*

Qui matrem suam commen-  
davit discipulo.

Ex quo Redemptor noster  
circa sextam diei horam Joanni,  
& omnibus fidelibus dilectissi-  
mam suam Genitricem in ma-  
trem dedit, vergente ad occa-

V 3 sum

310     *Meditatio vigesima septima,*  
sum sole justitiæ, qui illuminat  
omnem hominem venientem in  
hunc mundum, sol naturalis, teste  
Matthæo cap. 27. obscuratus est,  
*& tenebrae factæ sunt super uni-*  
*versam terram, usque ad nonam,*  
ita, ut hæc tremuerit, & tota ferè  
natura in elementis titubantibus  
defecerit. Circa horam autem  
nonam finitâ solis ecclipsi, ter-  
ræque motu, exclamavit Jesus vo-  
ce magnâ dicens: *Eli Eli lama*  
*sabactani, hoc est: Deus meus,*  
*Deus meus, ut quid dereliquisti*  
*me.* Tria illa, quæ Christus ha-  
etenus ex Crucis cathedrâ pro-  
posuit verba, plena solatii omni-  
bus fidelibus & peccatoribus; sed  
quartum hoc, medium inter præ-  
missa & sequentia, verbum ple-  
num

24 Septima,  
qui illumina  
venientem in  
naturalis, testi  
fusus est,  
ut super uni  
ue ad nonam,  
& tota ferè  
cubantibus  
m autem  
diplo, ter  
ic Jesus vo  
Eli lama  
eus meus  
dereliquisti  
christus ha  
dra pro  
tū omni  
ribus; se  
i interpar  
erbum  
am

Pro vigesima septima die mensis. 311

num est non quidem desperatio-  
nis ( uti blasphemi quidam nova-  
tores impiè somniant ) sed sacro-  
sancti horroris auditu mirandum,  
& intellectui humano tam diffi-  
cile, ita ut , nisi hoc verbum  
ex infallibili Verbi incarnati ore  
esset pronunciatum , fides mea  
ferè vacillaret ; excedit enim  
omnem fidem humanā, quod Fi-  
lius Dei unigenitus à Patre cœle-  
sti possit derelinqui. Circumfe-  
rebat Salvator noster in cruce  
undique & undique oculos suos  
moribundos , quærens solatium,  
quoniam verò aditus ad illud un-  
dique erat clausus, oculos ad Pa-  
trem elevat , exclamans: *Deus*  
*meus, Deus meus, ut quid dereli-  
quisti me.* Sed videtur æneum

esse cœlum, quia indè neque solatium neque auxilium accepit.  
Laudâsti quondam , O Psalmongraphe, te nunquam vidisse iustum derelictum Ps. 36. Sed ascende, quæso, montem Calvariæ, & audi ibi Filium Dei unigenitum, verum Justitiæ solem & authorem non tacito murmure, sed altâ voce , exclamantem: Deus meus, ut quid dereliquisti me. Itáne fieri potuit, ut Pater filium suum ante sæcula ex se natum Patri consubstantialem, & usque ad mortem crucis obedientem dereliquerit, de quo tamen ad Jordanem ex cœlo contestatus est: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, & hunc in extremis illis angustiis & crucia-*

ciatibus omni destitutum auxilio & solamine derelinquere potuit? O magnum divini amoris stratagema! quis comprehendet illud? O Sacramentum! quis rectè explicabit? O mysterium! quis mente suâ capiet? stas O peccator, attonitus ad hoc verbum, idque tibi videtur incredibile, & ideo causam, propter quam filius conqueratur, se à Patre esse dierelictum, scire cupis? solvam tibi hoc dubium, causámque hujus derelictionis ostendam. Deus per Moysen conquestus est Deuter. 32. de Israëlitis non tantùm, sed etiam quovis peccatore, *Deum, qui te genuit, dereliquisti, & oblitus es Domini Creatoris tui,* & per Vatem Jeremiam cap. 2. *Omnes*

dereliquistis me. Dereliquit Christus coelum, & venit in mundum, ut nos sanguine suo ab æterno vindicare possit interitu; in mundo dereliquit nobis omnia, scilicet corpus, sanguinem, vestes, animam, nihilominus per prophetam cogitur conqueri, omnes dereliquistis me. Sed scias, O peccator, qui Dominum & Redemptorem tuum tam perfidè dereliquisti, quod Deus te iterum derelinquet, cum hora venerit ipsi nota, tibi ignota, in qua divitias tuas magno cum labore & periculo partas, honores, amicos & proximos tuos derelinques. Ita enim minatur Deuter. 31. *Irasceretur furor meus contra peccatorem in die illâ, derelinquam eum*

*& ab-*

*E*scondam faciem meam ab eo. O Ilias omnium malorum! non potest excogitari majus infortunium, quam peccatoris, quem Deus derelinquit iratus, ab eoque abscondit faciem suam. Quo te convertes, peccator, in hoc miserrimo rerum statu? Ad illum propera, qui derelictionem tuam in cruce à Patre derelictus luere voluit; & exclama: O Jesu! adjutor meus esto, ne derelinquas me, quando ab omnibus derelictus tradami spiritum meum, & mundum derelinquam. Nederelinquas me, neque in vitâ neque in morte, ideo enim Pater tuus derelinquit te, ne tu frater meus derelinquas me. Cùm igitur veneris judicare, noli me miserrimum de-

316 Meditatio vigesima octava,

derelinquere, multò minùs condemnare, sed statue me à dexteris inter oves tuas, & ab auditione mala non timebo. Amen.

Ave JESU, qui dixisti,  
Pater, quid me reliquisti,  
Tantis in suppliciis?

Ne nos relinquas, ut ruamus,  
Técum semper persistamus  
Fortes in angustiis.

Quinque Pater & Ave. Et in salutatione Angelicâ post nomen JESUS:

Qui se derelictum à Patre clamat.



MY-

---

MYSTERIUM  
PASSIONIS DOMINICÆ  
VIGESIMUM OCTAVUM.

Meditatio pro vigesimâ octavâ  
die Mensis.

XXVIII.

*Christus in cruce sicut sit, et iussa  
Patris consummavit.*

Quemadmodum magnus ille  
Samson, postquam bellicosâ  
& victrice manu suâ mille profli-  
gavit Philisteos, exclamavit: en-  
siti morior, ita etiam dilectissi-  
mus Redemptor noster, in quo  
omnis ferè sanguinis ex venis eva-  
cuatio extremam creavit sicutim,  
in cruce exclamavit, SITIO.  
quàm magnum iterum A-

mo-

moris divini Mysterium sub unico hoc verbo SITIO, latet! tūne O JESU dulcissime, de te ipso Joannis 15. testatus es, Ego sum vitis; & sitis? Tūne creāsti cōclum & terram, maria & fontes? & sitis? tūne es fons aquæ salientis in vitam æternam? & sitis? tūne es torrens voluptatis? & sitis? tūne dixisti, si quis sitiat, veniat ad me & bibat? & Tu nihilominus sitis? Christus cursum suum & arduum illud opus, salutem totius generis humani concernens ferè absolvebat, ut igitur scripturam in omnibus impleret, clamat in cruce SITIO. Ita enim textus loquitur: *Sciens IESUS, quia omnia consummata sunt, ut consumaretur scriptura, dixit, SITIO.*

Vas

Vas ergo positum erat plenum a-  
ceto; illi autem spongiam plenam  
aceto hyssopo circumponentes ob-  
tulerunt ori ejus. Locutus est in  
personâ JESU ipse David Psal. 21.  
*In siti mea potaverunt me aceto.*  
Hanc scripturam & in eâ latens  
mysterium, ut JESUS Patri in om-  
nibus ad mortem crucis obediens  
ad amissim adimpleret, exclam-  
mat, se sitim in cruce sentire; &  
ecce quidam ex militibus astan-  
tibus nebulones arripiunt spon-  
giam illam ex vase præfente, ace-  
to replent, & Christi labiis, ut  
potius illum amarulentum gu-  
stare, sitimque extinguere possit,  
vel potius ut scriptura impletatur,  
applicant. Non miror in magno  
nostro Bellatore sitim, quam am-  
bulan-

bulando, operando, configendo  
facilè conciliare sibi potuit, sed  
potius in militibus extremam ad-  
miror malitiam & crudelitatem,  
qui, JESU sitiente, loco vini, quod,  
moribundis in suppliciis delin-  
quentibus dari solet, spongiam  
aceto plenam offerre non dubi-  
taverint. Exclamas, O mitissi-  
me JESU! in cruce: SITIO, sed  
dic mihi, quæso, quid sitis? A-  
quam sitio; qualem aquam? la-  
chrymarum tuarum. Itane effla-  
gitas aquam lachrymarum mea-  
rum? sed salsa sunt, extinguen-  
dæ siti minus convenientes; ni-  
hilominus illas sitio, quia mihi  
gratæ admodum sunt, immo dul-  
ciores vino & nectare. Ergone,  
O Redemptor! sitis aquam lachry-  
ma-

marum mearum? omnino sitio.  
Quis igitur capiti meo dabit aquam, & oculis meis fontem lachrymarum, ut linguam Salvatoris mei, salutem generis humani sufficientem aliquot guttulis refrigerare possim. Non habeo, ô fons aquæ vivæ, ô torrens omnis voluptatis, alios nisi geminos hos oculorū meorum fontes, quos tibi ad extinguendam sitim, quam pro me in cruce passus es, quia alium à me potum non efflagitas, lubentissimè offero. Ecce fontem oculi dexterī, & ex eo stillantem lachrymarum aquam, ex quo fluunt lachrymæ amoris ob beneficia, imprimis passionem & mortem tuam. Ecce fontem oculi sinistri, ex quo stillant lachrymæ

doloris ob facta mea sinistra, & plurima scelera in te commissa.  
Hisce duobus fontibus extingua sitim tuam. Obtulerunt tibi milites spongiam aceto repletam, longè meliorem mihi ostendit spongiam Chrysostomus in Ps. 50. dicens. *In codice, ô peccator, scripta sunt peccata tua; spongia peccatorum tuorum lachrymatua sunt, effunde lachrymas, & poteris ea delere.* Cùm igitur ô amantissime Jesu! lachrymæ peccatorum tibi tam gratæ & acceptæ sint, illas quanquam indignissimas tibi ex contrito corde offero, extingue his sitim tuam, ut tandem in novissimo die ex ore tuo verba illa exspectatissima audire possum: *Sicuti, & dedisti mihi*

Pro vigesima octava die Mensis. 323

hi bibere, intra igitur in Regnum  
cælorum, Amen.

Ave JESU, qui testaris  
Sitim, felle sed potaris,

Tu, qui pascis omnia,  
Fac æterna non sitire  
Mundi, carnis fastidire,

Fugitiva gaudia. Amen.

Quinque Pater & Ave. Et in salutatione  
Angelicâ post nomen JESUS :

Qui in cruce sitivit.

Sequitur jam sextum & penulti-  
mum Christi in crnce verbum,  
nec minus solatii & gaudii ple-  
num, quod Redemptor noster  
& magnus Bellator ex sublimi  
crucis pulpito altâ voce, ut ad-  
stantes non tantùm, sed etiam  
tota quasi universitas illud audire  
potuerit, exclamavit dicens :  
*Consummatum est.* Ego in cru-

ce pendens, O dilectissime Pater !  
animo meo totam scripturam  
veteris Testamenti à primo in  
Genesi capite usque ad ultimum  
Machabæorum pervolvi, omnia,  
quæ Patriarchæ de Adventu, Na-  
tivitate, Passione & Morte futuri  
Messiaë præfigurârunt, Prophe-  
tæque vaticinati de illo sunt, ac  
curatissimè examinavi, omnibüs  
que discussis circumstantiis tru-  
tinavi, & reperi, omnia à me ad  
ultimum usque esse impletum jo-  
ta, nihilque, nisi mortem meam  
in hoc momento instantem su-  
pereſſe ; quapropter triumphans  
& spiritu exsultans jam meritò  
exclamo , CONSUMMATUM EST.  
Omne scilicet illud, quod à Vir-  
gineo Matris meæ utero per to-  
tam

tam vitam usque ad præsentem  
mortem efflagitare voluisti, obe-  
diens usque ad mortem crucis ti-  
bi præstigi, nihil, quod ad salvan-  
dum genus humanum necessa-  
rium fuit, intermisi, sed omnia ad  
amissim accuratissimè observavi,  
ita ut finitis omnibus laboribus  
& tormentis jure dicere possim:  
CONSUMMATUM EST. O verbum  
optabile, exspectatissimum & læ-  
tissimum in Cœlo Angelis, in  
limbo Patribus, & fidelibus de-  
functis, in terra omnibus pecca-  
toribus resipiscientibus, horren-  
dum verò omnibus infidelibus &  
peccatoribus pertinacibus, im-  
primis verò dæmonibus, quia cœ-  
lestis hic Hannibal ante portas ve-  
stras brevi aderit, & tanquam ma-

gnus triumphator post obtentam  
victoriam, tartarorum vectes per-  
fringet, elevabit portas inferna-  
les, captivámque ducens captivi-  
tatem spolia vestra eripiet, quia  
magnum illud redemptionis opus  
ad finem usque perductum est.  
Redemptor noster jussa Patris  
implens non acquievit circa ini-  
tium hujus ardui negotii, sed om-  
nia ritè observavit & absolvit;  
tuum igitur officium est, O Chri-  
stiane, si Christi vis esse discipulus,  
ut non tantùm mandata divi-  
na observare incipias, sed etiam ad  
eius exemplum in illorum semitâ  
ambules, & in tuo piè vivendi pro-  
posito usque ad ultimum halitum  
constanter perseveres, finis enim  
coronat opus, & qui usque ad

hunc

hunc perseveraverit, secundum  
Matthæum cap. 10. salvus erit,  
ideo

Perfer, & obdura, labor hic ti-  
bi proderit olim.

Alias si à bono desistis proposito,  
illud Lucæ cap. 14. audies: *Hic  
bono cœpit adificium, et non po-  
tuist consummare.* Felicissimè,  
ò JEsu Christe! cursum tuum ab-  
solvisti, sanctissimam Passionem  
consummasti, eaque mihi, qui ex  
propriis meis viribus circa virtu-  
tes nihil omnino valeo, & bonum  
quicquam perficere possum, gra-  
tiam acquisivisti, ut præcepta di-  
vina, modò debitam adhibere ve-  
lim diligentiam, rite observare,  
Deum meum ex toto corde &  
totâ animâ, proximum verò sicut

me ipsum diligere possim, largire  
igitur mihi hanc gratiā, ut per to-  
tum vitæ meæ spatiū à viâ illâ latâ  
& spatiösâ, quæ ducit ad interi-  
tum & perditionem, declinare,  
& semitis mandatorum tuorum  
constanter insistere possim. Ne-  
mo mortaliuin propositum ad  
cœlum iter feliciter consummare  
potest, nisi qui quotidie vitam  
suam emendare incipit, & de una  
virtute ad aliam ascendere indies  
decrevit. In præsenti igitur tem-  
poris momento mihi & viribus  
meis diffisus, confisus autem &  
inxixus sanctæ tuæ gratiæ, virtu-  
te mei liberi arbitrij, deliberatis-  
simo consensu statuo firmiter, &  
propono, nunquam imposterum  
amplius peccare, aut quicquam,  
quod

quod divinæ tuæ Majestati ullo modo displicet , committere , sed potius vitam tuam jam sanctissimè consummatam , quantum per tuam gratiam licet , imitari , habitum earum virtutum , quæ tibi præprimis placent , ac statui meo magis convenient , mihi conciliare , tuamque sanctissimam voluntatem , pro virili & posse , ad gloriam & honorem tuum , meam verò æternam salutem implere ; quoniam verò hoc meum propositum sine tuo singulari auxilio exequi non possum , adjuva me , ô Salvator ! tuaque assiste gratiâ , ut , quod jam decrevi , rite consummare possim , cùmque in finem largire mihi vivam fidem , nec non fortem & constantem

animum, ut, sicut tu per tuam naturam peccare non potes, ita nec ego per tuam gratiam peccare amplius possim. Amen.

Ave JESU consummasti,

Jussa Patris & donasti

Tua nobis merita,

Bene fac nos inchoare,

Sed & ritè consummare,

Tua beneplacita.

Quinque Pater & Ave. Et in salutatio-  
ne Angelicâ post nomen JESUS:

Qui jussa Patris consumma-  
vit.



MY-

MYSTERIUM  
PASSIONIS DOMINICÆ  
VIGESIMUM NONUM.

Meditatio pro vigesima nona  
die Mensis.

XXIX.

*Christus Patri animam commen-  
dans in cruce moritur.*

**U**nigenitus Dei Filius apud  
Joan. cap. 16. locutus est, *Exi-  
vi à Patre, & veni in mundum,  
iterum relinquo mundum, & va-  
do ad Patrem.* Initium hujus mis-  
sionis in concilio Ss. Trinitatis de-  
cretæ, & à secundâ ejus personâ  
ex filiali obedientiâ susceptæ, dile-  
ctissimus noster Redemptor ex  
immenso amore, quo genus hu-  
manum amplexus est, fecit in sta-  
bu-

bulo Bethlehemitico, secundum  
professionem enim fidei Catho-  
licæ, proptor nos homines & pro-  
pter nostram salutem descendit  
de cœlis, & in carnatus est  
de Spiritu Sancto, natus ex Ma-  
ria Virgine, acita HOMO FA-  
CTUS EST. Varias ab initio  
vitæ usque ad ejus ultimum finem  
pro nostrâ salute egit scenas in  
stabulo, in præsepi, in fœno, in  
Ægypto, in templo & Synago-  
gâ, in domibus, in vicis, in com-  
pitis, in deserto, in oppidis, in  
montibus, in vallibus, in ædibus  
Annæ & Caiphæ, in prætorio Ro-  
mani Præsidis Pilati, in Palatio  
Herodis, & tandem in patibulo  
Crucis. Diversas in hoc ludo  
tragico sustinuit personas, jacuit  
in

in præsepi ut infans, fugit in Ægyptum ut exul, docuit in Synagoga ut Magister, sanavit in dominibus, viciis, & plateis omnis generis morbos ut medicus, ministrevit ut servus, sudavit in horto Gethsemani ut agonizans, comprehensus, vinculis & catenis ligatus ut fur, accusatus ut rebellis, flagellis cæsus ut mancipium, coronatus ut Rex, tandem passus & crucifixus est ut mortis reus. Finito cursu, consummatis Patris coelestis iussis, impletis SS. Trinitatis decretis, & exantlatis omnibus laboribus pro generis humani salute susceptis, jam iterum relinquit mundum, & vadit ad Patrem, ad illum scilicet Patrem, de quo antea conquestus est, quod filium

lium suum dereliquerit; & ad hunc Patrem se convertens non voce submissâ & tremulâ, qualem alias in moribundis observare licet, sed altâ & magnâ ab omnibus præsentibus auditâ exclamat, & ait Pater, in manus tuas commendo spiritum meum. Me totum, O dilectissime Pater! pro mortalium salute tradidi militibus reliquisque tortoribus, in specie brachia mea catenis, & funibus, corpus flagellis, verticem coronæ spineæ, faciem sputis, humeros bajulos maledicto crucis ligno, manus & pedes clavis obtusis, ut omnia corporis mei membra hi crudelissimi milites pro suo libitu variâ crudelitatis carnificinâ cruciarent, laniarent,  
di-

dilacerarent ; solum meum spiritum illis tradere nolui , sed mihi reservavi , spiritum illum , quo ab initio, quando fecisti cœlum & terram, nihil pretiosius, nihil præstabilius unquam creatum est, nec creari potuit, spiritum illum , per quem omnium tam hominum, quam Angelorum spiritus spirant, ad quem omnes aspirant, in quo omnes respirant ; solum hunc spiritum mihi reservare , tibiique, ô Pater, eum in finem hoc momento tradere volui, ut post triduum corpori meo illum tanquam thesaurum depositum in resurrectione restituas, recipe igitur illum in manus paternas.

Ostendisti mihi , O dulcissime JEsu , in hoc ultimo tuo verbo locum

cum omnium securissimum, &  
portum in futuro corporis naufra-  
gio tutissimum, cui moribundus  
animam meam in extremo vitæ  
articulo tutò concredere & trade-  
re possim, manus scilicet Patris  
tui cœlestis ; hoc unicum igitur  
peto & exopto à te, per labia tua  
jam clausa, ex quibus tot æternæ  
veritatis oracula profecta sunt,  
da mihi quamvis pessimo pecca-  
tori gratiam, ut in horâ ultimâ  
labiis tuis mea applicare, illa cum  
summâ consolatione & devotio-  
ne exosculari, & in manus tuas  
spiritum meum exulem, & pere-  
grinum unicè commendare pos-  
sim. O Domine JESU Christe, la-  
bia mea jam aperies, & os meum  
annunciabit mortem tuam.

Ave

Pro vigesima nona die Mensis. 337

Ave JESU, qui sermonem  
Morte claudens ad agonem  
Patri tradis animam,  
O mors tua nos emundet,  
Vitam bonis fac fœcundet,  
Mortem det tutissimam, Am.

Quinque Pater & Ave. Et in salutatio-  
ne Angelicâ post nomen JESUS:

Qui Patri commendavit ani-  
mam.

Finito hoc ultimo verbo Re-  
demptor noster in cruce ad ter-  
ram inclinat caput suum, quasi  
dicere voluisset: vale jam, O terra,  
in quâ per triginta tres annos in  
omni miseriâ ambulavi, quám-  
que lachrymis, sudore, & sanguine  
prodigè effuso toties irrigavi;  
vale aér, in quo spiritum Patri

Y com-

commendatum duxi; vale popu-  
le mi dilecte, quem sanguine meo  
redemi; vale Jerusalem, civitas  
mea quondam dilecta & electa,  
cujus plateas & vicos toties in su-  
dore vultus mei obambulavi; va-  
le Synagoga & templum, in quo  
Evangelium de Regno Dei præ-  
dicavi; jam relinquo mundum &  
vado ad Patrem meum. Tandem  
adest momentum illud maximi  
momenti, momentum temporis  
omnium exspectatissimum, sacra-  
tissimum, & felicissimum, in quo  
Christus dilectissimus Redem-  
ptor noster mortuus, ac ita sum-  
mum omnium mysteriorum ab  
orbe condito usque ad infinitam  
æternitatem peractorum con-  
summatum est. Hoc est mo-  
men-

mentum illud arduum, in quo  
mundus sanguine & morte Chri-  
sti ab interitu æterno felicissimè  
vindicatur, & in florentissimum  
statum repositus est. Levate igit-  
ur ô peccatores, post præmissam  
veram contritionem capita ve-  
stra ad illum, qui in cruce ad vos  
caput suum inclinavit, levate se-  
cundùm monitū Luc. c. 21. Capi-  
ta vestra, quoniam appropinquat  
redemptio vestra, dum Redem-  
ptor noster mortem moriendo  
destruxit, psallite cum Psalmis  
stâ Ps. 123. Anima nostra sicut  
pasler erecta est de laqueo venan-  
tium, laqueus contritus est, &  
nos liberati sumus.

Tu autem, O Pater coelestis,  
qui meritò propter peccata nostra

iratus es, aspice illum, de quo o-  
lim ad Jordanem de cœlo conte-  
status es, *Hic est Filius meus dile-  
ctus, in quo mihi bene complacui.*  
Aspice hunc Filium tuum dilectissi-  
mum, & reminiscere non tan-  
tum, quinam sit, qui tam impia  
passus est, sed etiam, pro quo  
eiusmodi ignominiosam mortem  
in maledicto ligno passus est.  
Nōnne hic est filius tuus inno-  
centissimus, quem, ut me perdi-  
tum peccatorem ab æternâ morte  
redimeret, atrocissimæ tradidisti  
morti. Respice jam hunc natum  
tuum in crucis patibulo expan-  
sum & mortuum, respice hunc  
tanquam misericors & Pater mi-  
sericordiæ, cerne manus ejus in-  
noxias sanctissimo manantes san-  
gui

guine, & tam pretiosissimo pla-  
catus lytro remitte omnia pec-  
cata, quæ manibus meis per to-  
tam vitam patravi, intuere pe-  
des ejus clavis cruci affixos, qui  
nunquam steterunt in via pecca-  
torum, sed semper ambulave-  
runt in lege tuâ, & per vulnera  
horum pedum viam iniquitatis,  
quam hactenus per totum vitæ  
curriculum jugiter ambulavi, a-  
move à me, perfice gressus meos  
in semitis tuis, fac me constantissi-  
mè odio habere & omni modo vi-  
tare omnes vias impias, & iterum  
iterumque eligere & currere viam  
mandatorum tuorum, ut filio tuo  
unirivaleam in sæcula sæculorum,  
Amen.

JEsu nostros ob reatus,  
Ins ons duræ morti datus  
Reis dona veniam.

Et per sacræ mortis fructum  
Fac, ne sequar carnis ductum,  
Mala morte peream.

Potens audi nos Creator,  
Audi clemens ô Salvator!  
Audi sancte Gubernator,

O Deus meus & omnia.

*Quinque Pater & Ave. Et in salutatio-  
ne Angelicâ post nomen JESUS:*

Qui pro nobis in cruce mor-  
tuus est.



IHS

MY-

MYSTERIUM  
PASSIONIS DOMINICÆ  
TRIGESIMUM.

Meditatio pro Trigesima die  
Mensis.

XXX.

*Christus post mortem & prodigia  
ex latere lanceæ aperto sanguinem &  
aquam effudit.*

**V**Ix Redemptor noster in cru-  
cis ligno mortuus oculos  
suos tanquam geminos soles, quo-  
rum alter terram gratiæ, alter ve-  
rò coelum gloriæ radiis suis illu-  
strat, clausit, & ecce coelum &  
terra finitâ Domini passione cœ-  
perunt pati, extinctis enim omni-  
bus luminaribus atræ, spissæ, &  
Ægyptiacæ tenebræ incubue-

Y 4

runt

runt mundo, magna illa terrarum  
machina imis quassata sedibus ac  
fundamentis nutare & fluctuare,  
ejusque facies per extraordinari-  
um solis ac reliquorum planeta-  
rum cursum atrâ obrui eclipsi, to-  
ta trepidare natura, tumuli ape-  
riri, velumque in templo à sum-  
mo adimum in duas partes discin-  
di coepit. Obstupecit attoni-  
tis auribus ad hunc magnum tu-  
multum, ad hanc foedam tempe-  
statem, ad hæc insolentia coeli  
prodigia, terræque motus centu-  
rio Romanus cum reliquis astan-  
tibus, teste enim Matthæo cap.  
21. *Hic ēt qui cum eo erant, cu-  
stodientes JEsum viso terrā motu,  
ēt his, quæ fiebant, timuerunt  
valde dicentes: Verò Filius Dei  
erat*

erat iste. Et omnis turba eorum,  
qui simul aderant ad spectaculum  
istud, & videbant, quæ siebant,  
percutientes pectora sua rever-  
tebantur. Mirum dictu, imò  
detestanda mortalium pertinacia  
& deploranda eorum cæcitas!  
hic centurio, ut & reliqui milites  
cruci adstantes, licet gentili super-  
stitioni & idololatriæ addicti, ex  
quo horrenda illa prodigia coeli  
& terræ, mortem Christi antece-  
dentia & subsequentia aspexe-  
runt, non tantùm in paciente JEsu  
divinam ejus naturam agnove-  
runt dicentes: verè Filius Dei erat  
iste, sed etiam in tesseram pœni-  
tentiarum & contritionis percusse-  
runt pectora sua. Tu autem O  
Christiane, qui Christi nomen

ore profiteris, dum ejusmodi si-  
gna & prodigia in historia Passio-  
nis Dominicæ vel ipse legis, vel  
illa ex ambone recitata audis, non  
percutis pectus tuum tot flagitiis  
contaminatum, mota est terra  
ad mortem Christi, cor autem  
tuum ad hanc mortem manet im-  
motum & in peccatis obstinatissi-  
mum; discinditur in Templo ve-  
lum in duas partes, tu autem cor  
tuum variis sceleribus ab imo ad  
summum impletum per veram &  
seriam poenitentiam scindere in-  
termittis; dissiliunt saxa & lapi-  
des, tuum autem cor manet lapi-  
deum, induratum, & in peccatis  
immobile. Prô scelus & oppro-  
rium Christianorum! O Domi-  
ne JESU Christe animarum perdi-  
ta-

tarum amator ardenter, qui  
præ nimio erga nos miserrimos  
amore non vis mortem peccato-  
ris, sed magis ut convertatur &  
vivat, concede mihi gratiam tuā,  
ut ad exemplum hujus Centurio-  
nis & consortium in vera contri-  
tione percutiam peccatum meum,  
& in eo latens cor illud impuris-  
simum tanquam fontem & ori-  
ginem omnium scelerum, quibus  
Divinam tuam Majestatem, cui  
omnia peccata etiam minima di-  
splicant, toties offendit; quis mihi  
dabit, ut præ acerbo propter pec-  
cata commissa dolore omnes gut-  
tæ sanguinis mei mutentur in me-  
ras lachrymas, aut lachrymæ mu-  
tentur in sanguinem, nec unquam  
neque die neque nocte taceat pu-  
pilla

pilla oculi mei; fiat, ah fiat magna velut mare contritio mea, quia Deo meo, quem tamen ex toto corde, & super omnia amare teneor, injurius fui, ejusque vindictam flagitiis meis provocavi, summumque hoc bonum contemptui habui. O clementissime Iesu! ex contrito corde doleo de omnibus peccatis contra te, & bonitatem tuam per totam vitam commissis, statuo ex hoc momento, te magis magisque amare, & imposterum sincere estimate; dam mihi tantum hanc gratiam, ne in futurâ, quæ mihi adhuc restat, vitâ, quiequam, quod divinis tuis oculis displicet, committam, imoda, ut te solum amem proper te, ad te suspirem, in te vivam, in te moriar. Amen.

Quem-

Quemadmodum Salvator no-  
ster magnam illam tragœdiam,  
quam in ipsius personā paciente  
per mensem præsentem ad finem  
decurrentem triginta meditatio-  
nibus, & in iis comprehensis pro-  
fundis & sanctissimis mysteriis  
contemplati sumus, sanguinis  
profusione cœpit, in actū primi  
scenā primā hortum Gethsema-  
ne sanguineo sudore suo irrigan-  
do, ita eandem Tragœdiam cruo-  
re suo finire, ultimāmque ejus  
guttam etiam post mortem pro  
nostrā salute nobis relinquere  
voluit. Audiamus de hāc ultimā  
sanguinis effusione ipsius Disci-  
pulum pectoralem tanquam te-  
stem præsentem omni exceptio-  
ne majorem, qui hanc scenam su-

pre-

premam ex oculari aspectu cap.  
19. ita describit. Iudei ergo, quo-  
niam parasceve erat, ut non re-  
mancerent in cruce corpora sab-  
batho, erat enim magnus dies ille  
Sabbathi, rogaverunt Pilatum, ut  
frangerentur eorum crura, &  
ollerentur. Venerunt ergo milites  
& primi quidem fregerunt crura,  
& alterius, qui crucifixus est cum  
eo, ad Jesum autem cum venissent,  
ut viderunt eum jam mortuum,  
non fregerunt ejus crura, sed u-  
nus militum lancea latus ejus  
aperuit, & continuo exivit san-  
guis & aqua. Et qui vidit testi-  
monium perhibuit, & verum est  
testimonium ejus, & ille scit, quia  
vera dicit, ut & vos credatis, fa-  
cta enim sunt hac, ut scriptura

im-

impleretur, os non comminuetis ex eo. Textus ille, quem Evangelista Joannes ad propriam ocularem inspectionem provocans, è sacra Scriptura, allegat, reperitur Num. 9. ubi Deus per servum suum Moysen populo Judaico ratione Agni Paschalis hanc legem promulgavit. *Non relinquent ex quo quippiam usque manè, & os ejus non confringent.* Ut igitur JESUS Christus Agnus Dei in crucis altari pro humano genere Patri cœlesti immolatus, omnia, quæ in lege veteri de passione & morte sua per Patriarchas & Prophetas prædicta, & in cæremoniis præfigurata erant, ad amissim & ultimam lineam usque, adimpleret, crurifragium illud, quo in duo-

duobus illis latronibus cum Christo crucifixis mors propter instans Paschatos festum accelerabatur, morte præveniente declinare, & tanquam per Agnum Paschalem legis veteris præsignatus crura integra reservare voluit; & ideo milites ad JEsum venientes & videntes illum mortuum, non fregerunt crura, sed unus eorum lanceâ latus aperuit &c. Ethoc pacto sanguinis profusione, finita est funestissima Tragoëdia, quæ in finito jam mense N. N. tam profunda nobis veræ fidei, firmissimæ spei, & extremi amoris Mysteria, uberrimamque meditandi materiam suppeditavit.

Gratulor jam tibi, O dulcissime JEsu! de magna victoria,  
quam

quam reportâsti, dum sanguine,  
passione, & morte tuâ inferni ve-  
cetes ferreos fregisti , portásque  
æternales elevâsti. Hyems jam  
transiit, imber recessit, & Pater  
tuus coelestis omnem lachrymam  
ab oculis tuis detersit. Gratulor  
etiam mihi de hoc vulnere lateri  
Redemptoris mei infixo ; scio  
enim per apertum illius latus libe-  
rum mihi aditum paratū ad sacra-  
tissimum cor JEsu, in quo abscon-  
diti sunt omnes thesauri scientiæ  
& sapientiæ Dei, nec non merito-  
rum Salvatoris mei. Hoc unicum,  
O amantissime JEsu ! loco specia-  
lis gratiæ mihi, quamvis indignif-  
simo mortalium, concede; ut  
semper vulneri sanctissimi lateris  
tui adhæream, & pretiosissimum

Z

san-

sanguinem ex eo profluentem ex-  
hauriam, quo anima mea amore  
tui inebrietur; permitte mihi, ut  
exosculer sanctissimum cor tuum  
eique nomen meum inscribam;  
sit illud diversorum meum, ut  
hic manducem, hic bibam, hic  
ambulem, hic legam, hic mediter,  
hic requiescam, hic vivam, hic  
moriar, Amen.

Omnia tunc bona sunt, clau-  
sula quando bona est.

Permitte igitur mihi, O aman-  
tissime IEsu! ut finito, mense N.  
quinque vulnera lateri, nec non  
pedibus, manibusque infixis, pro  
imperrandis præcipuis virtutibus,  
in specie Humilitate, Castitate,  
Obedientia, Mansuetudine &  
Charitate, sequentibus rhytmis sa-  
lutare possim:

Vul-

trigesima,  
profuentem ex.  
imma mea amore  
ermitte mihi, ut  
imum cor tuum  
um inscribam;  
um meum, ut  
ic bibam, hic  
n, hic mediter,  
vivam, hic

*Pro trigesima die mensis.*

355

**V**Ulnera namque Dei,  
Sunt medicina mei,

*Ad vulnus dexterī Pedis,*

*Pro Humilitate.*

**S**Alve Vulnus gratiosum,  
Christi fluens sanguine,  
Cor da mihi fructuosum,  
Omni carens crimine.  
**S**implex, humile, zelosum,  
Imò gaudens ordine.

*Pater & Ave.*

*Ad vulnus Pedis sinistri,*

*Pro Castitate.*

**S**Alve plaga peramœnia,  
Affluens solatio,  
Per te fiat in me plena  
Carnis castigatio,  
Casto flagret mens serena  
Tui desiderio.

*Pater & Ave.*

*Ad vulnus manus dexteræ,*

*Pro Obedientia.*

**S**Alve rubens ex cruore,  
Iesu plaga dexteræ.  
O! fac tua, cum fervore,  
Jussa quæram properè:

Z 2

Ge-

356 Meditatio pro trigesima die Mensis.

Geram corde, promam ore,

Præstem promptus opere.

Pater & Ave.

*Ad vulnus manus sinistrae,*

Pro Mansuetudine.

**S**Alve lævæ vulnus Christi,

Sanguine purpureum:

Fac me quovis casu tristi,

Mitem & pacificum:

Cunctis, quos tu redemisti,

Lenem & benevolum.

Pater & Ave.

*Ad vulnus lateris,*

Pro Charitate.

**S**Alve scissum cum dolore,

JESU Cor dulcissimum,

Nobis patens ex amore,

Præsta mihi gaudium;

Et virtutum cum splendore,

Amoris incendum.

Pater & Ave.

EPI-



## EPILOGUS

Ad benevolum Lectorem.

**R**iginta tantum præsens libellus exhibet Mysteria Passionis Dominice: quoniam vero in mensibus, Januario, Martio, Mayo, Julio, Augusto, Octobri & Decembri unus adhuc dies præter triginta illos supereft, ne ille sine memoria hujus sanctissimæ Passonis vacuus transeat, benevolus Lector in hoc ultimo die vel preces illas postrema meditationi annexas prolubitu & temporis ratione repetere, veletiam exhortationem

nem in p̄fatione huic opusculo  
 pramissa contentam, in qua ma-  
 xima illa ex continua huius Pa-  
 ssionis meditatione redundans uti-  
 litas ex sacri codicis & SS. Pa-  
 trum documentis probatur, usq;  
 ad paragraphum, qui incipit (quo-  
 niam verò hac scribendi metho-  
 dus &c.) devotè perlegere, eám-  
 que in honorem quinque vulne-  
 rum tot orationibus Dominicis,  
 & salutationibus Angelicis  
 concludere poterit.

F I N I S.




Pag. 3  
 p. 27. laum  
 vim. p. 74  
 p. 96. profla  
 aporis, fuga  
 excedit, p.  
 p. 158. l. fin  
 ib. potesta  
 quid tu.


Err


## *Errata Typographica.*

Pag. 3. Patris sui. p. 4. ex famoso.  
p. 27. taumaturgis. p. 59. quot, p. 71. ra-  
vim. p. 74. siluit Jesus. p. 81. animarent.  
p. 96. prostratum. p. 97. lin, ult. fere. p. 102.  
aperis, fugas. p. 111. dorso, ibid. & quod  
excedit. p. 151. se ipsum. p. 154. & hic  
p. 158. l. fin. debitum p. 175. facultatibus  
ib. potestates. p. 181. l. fin. portæ. p. 192.  
quid tu. p. 227. felle.










## TIFFEN® Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2007



© The Tiffen Company, 2007

